



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus XIX. De Divortiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62672)

q. 3. & l. Testes 9. ff. de Testibus, esse tamen ipse & ceteri consanguinei præ aliis censentur in causis matrimonialibus, saltem iis, quibus agitur de matrimonio, propter consanguinitatis, affinitatis vel publicæ honestatis impedimentum dissolvendo, c. Videtur cit. & c. Quoties 5. de Test. & attest. quod non solum, ut dictum, cognationis & affinitatis distantiam præ aliis nōsse, can. 1. Sc. 35. q. 6. & l. Etiam matris 16. ff. de Probat. sed incestarum nuptiarum probum in familia sua non tolerari credantur, ut advertit Engel ad hanc Rubr. n. 8.

18. Eodem modō, licet accusator sive actor in propria causa testis idoneus non sit, can. Nullus 4. q. 4. l. Nullus 10. ff. & l. Omnibus 10. C. de Testibus, eum tamen in causa matrimoniali saltem, cum quæstio est de consanguinitate vel affinitate, admitti, volunt Innocent. & Præpositus ad Rubr. Sed probabilius istius testimonio locus eō solum casu est, quō non accusator matrimonii, sed impediti solum denunciator est; hōc enim casu, si iudex ex officio inquiret, ad testificandum de impedimento admittitur,

qui id denunciavit, arg. c. In omni 4. de Test. & attest. & c. Cum in tua 27. de Sponsal. & matrim. ut in Rubric. Panormit. in fine & Canisius n. 3. advertunt.

Specialiter autem, sicut ab accusatione, sic etiam à testimonio contra matrimonium dicendo præter alios aliunde suspectos repelluntur, qui ad id faciendum vel omittendum pecuniā inducuntur, c. Sicut 29. de Test. & attest. uti etiam, qui testimonium non propria voce, sed per literas perhibent absentes, c. Nobis cit. can. Testes 3. q. 9. & l. Testium 3. §. 3. ff. de Test. & attest. quod veritatis à præsentē obtinendæ spes major sit, quàm ab absente: cuius iudex nec vocem audire, nec intueri vultum potest, Panormit. in c. De testibus 29. de Test. & attest. n. 10. & Vivianus in c. A nobis cit.

In pluribus tamen Germaniæ provinciis ex privilegio vel consuetudine Nobiles & Illustres personas ad testimonium dicendum non personaliter comparere, sed scriptas & obsignatas depositiones ab iis transmitti & admitti consuevisse, Testis est Gaill. Lib. 1. observat. 101. n. 4.



TITVLVS XIX.

De Divortiis.

Ipsas nunc causas aggredimur, ex quibus Matrimoniales accusationes aliquando instituuntur: & ad conjugii legitime initi, Rati, Consummatique dissolutionem quoad ipsum vinculum vel, isto remanente,

quoad thorum & cohabitationem pervenitur.

ARTICVLVS I.
De Matrimonii Infobilitate.

SUMMA-

SUMMARIUM.

1. *Matrimonium insolubile est.*
2. *Quò Jure variè sentiunt DD.*
3. *Verius insolubilitas Naturali quidem conformis :*
4. *Non tamen eò Jure,*
5. *Sed Divinò, sive à Deo matrimonium instituyente,*
6. *In Paradiso constituta,*
7. *Et illi etiam rato collata est.*
8. *Ejus dissolutio aliquò modò est contra Jus Naturale.*
9. *Repudium, olim Judæis licitum.*
10. *Hodie neque ipsis, neque Paganis est permiffum.*
11. *Neoterici, conjugia Heterodoxorum solubilia existimantis, Opinio,*
12. *Pro eaque deducta ratio,*
13. *Et illatio matrimonii Sacramento prejudiciosa.*
14. *Conjugii insolubilitatis per se non obstat heresis,*
15. *Neque intentio Sacramentum non conficiendi,*
16. *Neque error circa conjugii insolubilitatem.*
17. *Ei tamen obstat intentio conjugium solubile inveniendi,*
18. *Heretici ante obitum conjugis ad alia vota transire nequeunt.*
19. *Et, insolubilitatem contrahendò excludisse, non præsumentur.*

MAJOR vis ac firmitas est nuptialis, quam contractuum cæterorum; cum, licet istis inductæ obligationes facillè varièque tollantur, ex illo tamen ortum conjugale vinculum, neque mutuo consensu, sive contrariâ contrahentium voluntate, neque ullâ merè humanâ potestate dissolvi, omnino exploratum sit, ex sententiâ Æternæ Veritatis, Quos

Deus conjunxit, homo non separet; Matth. cap. 19. v. 6. & ipsius matrimonii definitione, quâ id Maris ac foeminae conjunctio, individuum vitæ consuetudinem retinens esse dicitur ab Alexandro III. c. Illud 11. de Presumpt. & ab Imperatore §. 1. Instit. de Patriâ potestate. Ubi

Dubium & celebris controversia inter DD, primò est de Jure, à quo ea insolubilitas descendit. Quidam enim ex solo Naturali, solòve Divino: alii ex utroque Jure simul eam descendere, operosè fati contendunt. Alii inter matrimonia statuunt discrimen, & Consummati quidem in Naturale vel Divinum, aut utrumque simul: Rati verò insolubilitatem in Ecclesiasticum Jus refundunt apud Sanchez *Lib. 2. de Matrim. disp. 13. à n. 4.* & Pontium *Lib. 1. de Matrim. cap. 12. n. 3.* Mihi, quid in re ancipiti magis consonum veritati existimem, solitâ brevitate statuere, quàm singulas Opiniones illas prolixâ discussione persequi, lubet.

Censeo itaque primò, connubiorum insolubilitatem aliquò modò fundari in Jure Naturali. Neque, ut opinor, DD. Orthodoxorum quisquam est, qui id inficietur. Ratio est; quia, matrimonium ex sua natura exiget amorem mutuum conjugum, & tendit ad procreationem rectamque educationem prolis istiusque institutionem Reipublicæ congruentem: ad quæ ipsius perpetuitatem insolubilitatemque plurimum conferre, omnino est exploratum.

Censeo tamen secundò, perpetuitatem & insolubilitatem matrimonio non competere ex solo Jure Naturali, & seclusâ Divinâ ordinatione, ut cum *cit. Sanchez n. 7.* docent Coninck *disp. 24. à n. 19.* Perez *disp. 10. de Matrim. f. 2. n. 4.* & Pirrhing *ad hujus Lab. 4. Tit. 1. n. 139.*

Y y 2

n. 139. Ratio est; quia, si insolubilitas ei competeret ex solo Jure Naturali & ex ipsa sua natura, dissolutio matrimonii intrinsecè mala &, blasphemiae, odii Dei, ac mendacii instar, nullâ concessione Divinâ licita evadere posset; quia Jus Naturale immutabile est, eoque illiciti actus ullo casu liciti evadere non possunt, §. *Sed & naturalia* 11. *Instit. de l. N. G. & C.* matrimonii autem dissolutionem omni casu illicitam esse, competentæ veritati repugnat; cum ex concessione Divina in veteri, scripto & uxori oblatò Repudii libellò, Deuteron. cap. 24. v. 1. in novo Testamento favore Religionis ac fidei Christianæ matrimonium etiam consummatum, 1. Corinth. cap. 7. v. 15. c. *Quanto* 7. & c. *Gaudemus* 8. *bâc Rubric.* ratum verò professione Religiosâ, quoad ipsum vinculum, dissolvatur, c. *Verum* 2. & *Ex publico* 7. *de de Convers. conjug.* Accedit; quòd, spectatò præcisè Naturali Jure, non appareat ulla ratio efficax, cur ex gravissima causa v.g. sterilitatis uxoris, lepræ aut alterius infirmitatis, debiti redditionem impossibilem aut difficillimam reddentis, illa dimitti à marito non possit. Quæ procul dubio causa est, ob quam sapientiæ rerumque naturalium ac moralium investigatione cognitioneque clarissimi Gentiles uxorum repudia & divortia conjugiorum variis casibus permittit existimârunt, ut de Cretenfibus Aristoteles *Lib. 2. Politic. cap. 8.* de Atheniensibus Alexander *Genial. dier. Lib. 4. cap. 8.* de Romanis Plutarchus *Problemat. cap. 13.* de Cicerone & Catone SS. Hieronymus *Lib. in Jovinian.* & Augustinus *de Bono Conjug. cap. 18.* memoriæ prodidère & de Platone ex ipsius *Lib. de LL. dialog. 11. de VV. ICT.* ex l. 1. *l. Divortium* 2. & l. *fin. ff. de Divortis & repud.* liquet.

Conseo tertio, dictam matrimonialis vinculi insolubilitatem à DD. *civ. rectè* referri in ipsum jus & institutionem Divinam: quâ conjugio per carnis copulam consummato, admirabilem illam unionem, quâ Verbum Incarnatum cum Ecclesia junctum est, significandi vis est collata, ex mente S. Augustini *Lib. de Bono Conjug. cap. 7. 15. 18. & 24.* conjugium insolubile esse, asserentis; quia est Sacramentum, id est, quia ex Divina institutione repræsentat unionem insolubilem Christi cum Ecclesia per humanam carnis assumptionem. Idem sensus aperit Innocentii III. c. *Debitum* 5. *de Bigamis* & Bonifacii VIII. cujus c. *Unio de Voto in 6.* relatum in rem hanc palmate rescriptum est, *Matrimonij vinculum ab ipso Ecclesia capite, verum omnium conditore, ipsum in Paradiso & in statu innocentia insitiente, Unionem & insolubilitatem accepit.* Atque hæc S. Ecclesie Doctoris & SS. Pontificum sententia fundatur in verbis Apostoli, *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & Ecclesia, Ephes. cap. 5. v. 32.* & ipsius Servatoris, *Quos Deus conjunxit, homo non separet, Matth. cap. 9. v. 6.* quibus conjugii insolubilitas in jus & institutionem Divinam refundi, alter Ecclesie Doctor simul & supremus Antistes D. Gregorius ostendit, cum ait, *Sunt, qui dicunt, Religionis, id est, Religiosæ professionis, gratiâ connubia, consummata, debere dissolvi. Verum sciendum est, etsi hoc lex humana concessit, lex tamen Divina prohibet, per se enim veritas dicit, Quos Deus conjunxit, homo non separet, can. Sunt qui, 27. q. 2.*

Constituta ergo insolubilitas conjugiorum est in paradiso à Deo, humanorum corporum & membrorum absolute domino, mari ac feminæ ad proli generationem per mutui juris in corpora sua trans-

sua translationem se conjungendi facultatem concedente, eorumque legitimam conjunctioni insolubilitatem, & inter Christum atque Ecclesiam contractam insolubilem Unionem significandi vim tribuente. Quam doctrinam summam complexa est sacra & Oecumenica Synodus Florentina in Decreto unionis §. *Septimum*: sicut & Tridentina *Sess. 24.* cujus principium est, *Matrimonij perpetuum insolubilemque nexum primus humani generis parens Divini spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem & adhaerebit uxori suae, & erunt duo in carne una, Genes. cap. 2. v. 23.*

7. Censeo quartò, non consummato duntaxat, sed rato quoque matrimonio eam, quam habet, insolubilitatem competere ex Jure & institutione Divina; ut neque mutuo contrahentium consensu, neque, seclusa concessione Divinà, ab humana potestate valeat dissolvi, ut iidem DD. tradunt & clarè colligitur ex decisione Gregorii IX, *c. fin. de Condit. apposit.* ubi matrimonij substantiæ adversari, ac proinde eius etiam contractum, quò à fidelibus legitimè initò matrimonium ratum inducitur, irritum reddere, asseritur conditio, *Donc inveniam aliam bonore & facultatibus te disiore;* quòd coniugij perpetuitati repugnet, manifestò indicio, illi etiam rato duntaxat competere insolubilitatem. Idem etiam insinuatur Genes. *cap. 2. v. cit.* ubi verbis, *Erunt duo in carne una,* denotantibus insolubilitatem consummati, præmittuntur verba, *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhaerebit uxori suae.* Id ipsum liquet ex matrimonij definitione, quà id esse dicitur, *Legitima conjunctio maris & femina, individuam vitam consuetudinem continens, c. Illud 11. de Pra-*

sumpt. quæ matrimonio prout à DEO institutum est, & rato quoque convenit: non soli consummato.

Censeo quintò, Divinà institutione supposità, matrimonij, tam Rati quàm Consummati, dissolutionem Juri Naturali adversari, ut rectè asseritur à *Coninck disp. 24. dub. 2. n. 24.* & *Perez cit. f. 2. n. 6.* Ratio est; quia Juri huic utique adversatur concessio usùs rei alienæ dominò invitò, aut aliò modò, quàm ab illo est permissum. Cùm ergo corporis ac membrorum dominus & coniugij institutor Deus illorum usum ad actus ex se aptos ad prolis generationem in alterum transferri quidem, sed non nisi per nexum insolubilem permiserit, ii, qui suorum corporum ad huiusmodi actus mutuum usum solummodo temporaneum transferunt, illis aliter utuntur, quàm ab eorum domino est concessum. Unde

9. Infertur primò, matrimonium ex institutione sua ita firmum esse; ut eius vinculum solvi nequeat autoritate alia quàm Divina: quæ eius dissolutio, ab initio illicita, Judæis per Moysen ex gravi causa permisa fuit, *Deuteron. cap. 24. v. 1.* iuxta illud Christi, *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras,* scriptò hisque oblatò Repudij libellò: *Ab initio autem non fuit sic,* *Matth. cap. 19. v. 7.* Ea etiam uxores repudiandi facultas, si non antè, à Christo sublata & coniugium ad primæ institutionis suæ statum est revocatum, *c. Gaudemus 8. §. Quin verd.*

10. Infertur secundò, Paganos &, post promulgatam legem Evangelicam Judæos, quando post repudiatam uxorem primam aliàmque ductam ad fidem conversi Baptismum suscipiunt, hanc dimittere, & repudiatam recipere teneri, quòd cum ista etiam à Judæo initum matrimonium insolubile; ac proinde, quòd primà

Y y 3

viventē

vivente cum alia in initum est, fuerit nullum: nisi tamen ista viro baptizato cohabitare simpliciter vel sine Creatoris iniuria nolle; hoc enim casu, eam desertam, cum secunda aliave muliere aliunde non impedita matrimonium inire possit, c. *Quanto 7. & c. Gaudemus cit. pr. S. Qui autem.*

11. Dubium, momentique & præiudicii maximi controversia secundò est, an insolubilia sint conjugia à nostri temporis Heterodoxis inita inter se & cum Orthodoxis; ea enim rescissioni obnoxia esse, probabilitate non carere, non ita pridem censuit Doctor Orthodoxus apud Gobat *Experient. Tract. 10. n. 703.* & Lohner *Biblioth. Manual. Tit. 141. q.*

12. 40. eam ductus ratione; quòd Heterodoxorum conjugia non sint Sacramentum, sed contractus merè humanus; cum contrahere non intendant matrimonium, nisi quod ipsi eorumque secta agnoscat: ipsi autem cum secta sua tota matrimonii non Sacramentum, sed solum contractum humanum agnoscant. Rationi huic non leve robur inde accedit; quòd generali intentioni contrahendi matrimonium, prout à Christo Domino, ad Sacramentalem dignitatem id elevante, institutum est, & faciendi, quod in vera Ecclesia fit, prævaleat & contrahentium voluntatem determinet iudicium particulare ipsorum, per errorem existimantium, institutum à Deo & in Ecclesia receptum matrimonii solum & solubile contractum; cum tali certè voluntate à particulari suo iudicio determinata à modernis Sectariorum conjugia iniri, docet praxis Consistoriorum hæreticorum, ad secundas nuptias transitum permittentium conjugibus, quorum confortes conjugalem thorum polluerunt adulteriò, vel ejuratis erroribus ad Ecclesiam gremium sunt reducti.

Rationem hanc ita roboratam, &

generali illi intentioni absolutam contrahentium voluntatem, particulari & erroneò iudicio determinatam, prævalere, memoratus Doctor confirmat, partim paritate cum aliis actibus voluntatis: quæ, licet intentione generali in bonum tantum feratur, sæpe tamen & absolute bono malum præfert, ab erroneo iudicio particulari, generali illi intentioni prævalente, determinata. Quòd proflus modò intentioni generali, matrimonium divinæ institutioni & veræ Ecclesie doctrinæ conforme ineundi, prævalet à particulari & erroneo iudicio de matrimonii solubilitate determinata particularis intentione conjugium solubile ineundi; cum, si hæc illi non prævaleret, contra communem omnium sensum sequeretur, non dari ullos hæreticos materiales; quòd ex falsis motivis ortus assensus erroneus particularis non prævaleret, sed corrigeretur ab assensu generali & Orthodoxo, præfinito omni veritati divinitus revelatæ; partim verò; quòd, si contrarium non probetur, matrimonium iniri præsumatur secundum morem loci, in quo versantur contrahentes: moderni autem hæretici communiter matrimonium solubile inire intendant. Unde memoratus Doctor

Infert, conjugii hæretico Ecclesie reconciliato ad alia vota transitum permitti posse præsertim, postquam consortem in hæresi perseverantem Heterodoxi Consistorii autoritate à nuptiali vinculo absolutum & alteri copulatum constat; quòd matrimonium antè in initum invalidum fuerit ob defectum legitimi consensus; cum iste conjugii substantia seu bono Sacramenti contrarius eò ipsò fuerit; quòd contrahentes non Sacramentum, sed contractum duntaxat, eumque solubile ineundi habuerint intentionem, ut locum in eis habeat decisio c. *fin. pr. de Condit.*

apposita.

U, an

Ut, an sic firmata Opinioni singulari pro eaque deducta rationi aliquid, & quid tribui valeat, planius constet, propositam dubitationem non unâ, sed pluribus Resolutionibus expeditio, &

14. Censeo primò, hæresin per se non obstare valori & insolubilitati conjugiorum, ut cum D. Thoma in 4. dist. 31. q. unic. art. 1. ad 6. sententia TT, constans, adeoque certa est; ut per se ab hæresi conjugium contrahendum dirimi, vel contractum quoad vinculum dissolvi, in Fide erroneum censeat Bellarm. Lib. 2. de Concil. cap. 4. Colligitur id ex c. Quasvrit 2. hæc Rubr. & c. Decrevit 14. de Hæresibus in 6. quorum locorum posteriori Bonifacius VIII. mulierem, quæ hæretico scienter nupsit, in delicti pœnam dote privat, conjugii valore intactò: priori & c. Quanto 7. hæc Rubr. conjugum alterò in infidelitatem vel hæresin lapsò, nuptiale vinculum dissolvi, negatur: idque ex causa hæreseos dissolvi non posse, à S. Synodo Trident. definitum est Sess. 24. can. 5. de Sacram. matrim.

15. Censeo secundò, conjugii sicut valori, sic & insolubilitati non obstare defectum expressæ intentionis conficiendi Sacramentum. Ratio est partim; quia, juxta dicta Tit. 1. n. 161 inter fideles intentio celebrandi verum contractum matrimoniale Sacramentum sibi mutuò administrandi ac suscipiendi intentionem, post contractus illius elevationem ad dignitatem Sacramentalem, includit: partim verò; quia rati & consummati fidelium matrimonii insolubilitas non provenit ex eo; quòd id sit Sacramentum, cum; quòd ipsum etiam matrimonium ratum fidelium, quod Sacramentum est, solvatur professione Religiosa, c. Verum 2. & c. Ex publico 7. de Convers. conjug. & Apostolica etiam dispensatione, ut dicitur à n. 39. tum verò; quòd ab infidelitate

conversorum & baptizatorum conjugia consummata omnino insolubilia sint, licet Sacramenta non sint, juxta dicta Tit. 1. n. 167. quale in fatis probabili complurium magni nominis Doctorum sententia etiam non est matrimonium à fidelibus initum cum intentione non conficiendæ Sacramentum: & tamen hoc, si consummatum sit, omnimodam habet insolubilitatem. Sed eorum insolubilitas provenit ex Sacramento Fidei seu Baptismi, ut aliis DD. cit. tradit Pontius Lib. 1. de Matrim. cap. 15. à n. 3. in eam rem allegans c. Quanto cit. ubi relatus Innocentius III. Sacramento Fidei, seu Baptismi, ratum effici ait conjugij Sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret; quia ex illo provenit; quòd matrimonium baptizatorum consummatum significet indissolubile vinculum, sive unionem Christi cum Ecclesia, ob cujus vinculi ex divina institutione acceptam perfectam significationem matrimonium fidelium consummatum omnimodam habet insolubilitatem, c. Unic. pr. de Voto in 6.

Censeo tertio, conjugii valori & insolubilitati communiter non obstare errorem unius vel utriusque contrahentium, existimantium id certis casibus solvi posse: dummodo consensum suum ejusmodi errori non alligent, & habeant intentionem generalem contrahendi matrimonium validum, sive secundum ejus institutionem Divinam veræque Ecclesiæ traditionem, & aptum ad legitimæ sobolis procreationem, Suarez de Sacram. disp. 13. f. 2. §. Superest, Lugo de Sacram. disp. 8. n. 132. Pontius Appendic. de Matrim. Hæret. cap. 6. n. 9. Perez de Matrim. disp. 14. f. 7. n. 5. & Gobat Experient. Tract. 10. n. 706. quæ resolutio apertè fundatur in doctrina Apostoli Pauli, conjugii fideli consulentis; ut perseveret in coniugio

conjugio, inito in infidelitate, si infidelis ei cohabitare consentiat, 1. *Corinth. cap. 7. v. 12. & 13.* non obscuro argumento valoris & (extra casum Divino Jure cap. 7. cit. v. 16. permiffum) insolubilitatis matrimonii, initi ab infidelibus: licet isti, cum id inirent, certis casibus repudium legibus Romanis, l. 1. l. *Julianus 4. ff. de Divort. §. 1. Ex consensu 8. C. de Repud.* quibus Corinthii vivebant, permiffum & usu receptum, scirent, & ipsi existimarent: quod Apostolus consulere non potuisset, nisi matrimonium, privato errore contrahentium non obstante, valide initum judicasset; quod contrahentium consensus & intentio ei, quò laborabant, errori non fuerit alligata. Eadem fundatur in rescripto Innocentii III. c. *Gaudemus 8. de Divort.* cujus V. *Qui autem, Vir*, qui in infidelitate secundum sanctiones legales, primam uxore repudiata, duxit aliam, Baptismo suscepto, ad primam, sibi absque creatoris contumelia cohabitare volentem, redire cogitur: quod rescribens Papa aperte supponit, matrimonium in infidelitate initum validum & insolubile esse, licet errore initum sit ab existimantibus, repudium sibi permiffum. Ratio Apostolici tam consilii quam rescripti & proposita resolutionis est; quòd ejusmodi erroneum judicium per se non impedit, quò minus contrahentes habeant intentionem seu voluntatem generalem & efficacem verum, sive institutioni divinæ & Ecclesiasticæ traditioni conforme, & ad legitimæ proles procreationem habile conjugium ineundi: cujusmodi intentio virtualiter includit vinculi insolubilitatem, ad veri divinæque institutioni & Ecclesiæ traditioni conformis conjugii substantiam pertinentem, ex eâve permanantem.

17. Censeo quartò, conjugii valori & insolubilitati obstare expressam intentio-

nem contrahendi matrimonium solubile, five divortium faciendi in casibus inter Heterodoxos permiffis ita; ut solubilitas habeat rationem conditionis sine qua non: quod solum evincit ratio deducta pro conjugiorum ab hæreticis inter se & cum Orthodoxis initorum solubilitate. Atque ita in terminis docent *citt.* Suarez §. cit. Lugo n. 131. Pontius n. 10. Perez n. 5. & Gobat n. 707. Ratio Resolutionis perspicua est; quia talis intentio & consensus aperte repugnat substantiæ matrimonii, five ejus bono, quod dicitur Sacramenti: intentio autem & consensus repugnans substantiæ matrimonii illius contractum invalidum reddit, c. *su. de Condit. apposit.*

Censeo quintò, coniugibus hæreticis 18. Ecclesiæ reconciliatis ad alia vota transiitum etiam, postquam ipsorum uxores, vel mariti Heterodoxi Consistorii autoritate aliis copulati sunt, non permittendum: nisi in prius inito contractu insolubilitatem à se exclusam, vel coniugem hæreticum vitâ functum probent, ut observatur generali, tam veteri quam moderna praxi Curiarum Ecclesiasticarum, ab hæreticis inter se vel cum Catholicis inita & consummata coniugia pro validis & quoad vinculum insolubilibus, ex iis que susceptas proles pro legitimis habentium; & propterea hæreticis Ecclesiæ reconciliatis novas nuptias ineundi facultatem ante coniugis in hæresi relicti obtinere nunquam permittenti: nisi, coniugium, propter dirimens aliquod præsertim naturalis, Juris impedimentum vel legitimum consensus defectum, irritum fuisse, constet. Ratio est partim; quia, iuxta dicta, 19. cum privato errore stare præsumitur generalis & efficax intentio, validum divinæque institutioni veræque Ecclesiæ traditioni conforme, & ad legitimæ proles susceptionem habile matrimonium contrahendi,

erahendi, atque etiam Sacramentum conficiendi; partim verò; quòd in dubio matrimonio iam contracto favendum, & pro eius valore, & cum hoc coniuncta insolubilitate, pronuntiandum, Regula sit *c. fin. de Sent. & re judic.* ab omnibus recepta, adeoque constans; ut Opinionem unius classici Doctoris singularem, pro coniugii valore militantem, plurimum eum impugnantium sententiæ, aperto Juris textui non innixæ, præferendam, cum Panormit. *in c. Si vir 2. de Cognat. Spirit. n. 3.* Alex. de Nevo *in Rubr. de Sponsal. n. 6.* Beroio *in c. 1. de Constitut. n. 27.* & aliis tradant Menoch. *Lib. 1. presump. 71. n. 30.* & Gajll. *Lib. 2. observat. 94. n. 19.* quòd, si in eiusmodi dubio matrimonium dissolveretur, sæpe emergerent gravissima incommoda, & coniugum ad alia vota transeuntium, hisque de novo copulatorum animæ in gravissimum salutis discrimen conjicerentur, perpetuæque iniuria inferretur Sacramento, ut eruditè advertit Gobat *cit. Traët. 10. n. 75.*

Pro coniugiorum, ab hæreticis inter se vel cum Orthodoxis initorum, solubilitate deducta speciem maiorem quam vim habent; quia imprimis insolubilitatem matrimonii fidelium in Sacramentali eius dignitate non fundari; eique privatum & erroneum iudicium contrahentium non obflare, iam est ostensum. Deinde; quia hæretici hoc ipso; quòd matrimonium validum divinæque institutioni conforme & ad legitimæ proles procreationem habile inire intendant, implicite intendunt omnino insolubile inire, non obstante huic contraria praxi Confistoriorum Hæreticorum; quia ista certis casibus conjugia dissolvunt non tam; quòd contrahentes solubile ineundi habuerint intentionem; quam quòd, ista inter fideles validè inita certis casibus solvi posse, per errorem existiment. Demum; quia

alia ratio & vis est falsæ bonitatis in objecto apprehensæ, quam erronei iudicii de conjugii solubilitate; cum bonitas illa voluntatem moveat ad appetendum, non etiam erroneum iudicium hæreticos ad matrimonium contrahendum; quia hoc, etsi insolubile scirent, nihilominus inirent, tanquam remedium concupiscentiæ & conjunctionem necessariam ad legitimæ sobolis procreationem: & si matrimonium insolubile inire nollent, id validè non inirent: atque etiam merè materiales hæretici forent, si ejusmodi iudicium suum erroneum esse, inculpabiliter ignorarent.

ARTICULUS II.

De Dissolutione Matrimonii Infidelium.

SUMMARIUM.

20. *Infidelium conjugium solvi nequit.*
21. *Nisi conjugum uni converso alter simpliciter,*
22. *Vel sine Creatoris injuria renuat cohabitare:*
23. *Quò casu illud solvi potest favore Religionis.*
24. *Non etiam, si conjugum Apostatarum unus revertatur:*
25. *Quò tamen casu divortio est locus.*
26. *Infidelium conjugium non ipso discessu infidelis:*
27. *Sed, fideli aliud ineunte, dirimitur;*
28. *Ut aliud inire valeat etiam infidelis:*
29. *A quo, sine injuria cohabitante, recessus non permissus,*
30. *Ejusque cohabitatio non semper periculosa est.*

Z z

31. Con-

21. *Conversus etiam initiari Sacris, vel Religionem ingredi potest.*
22. *Matrimonium tamen nec sacri Ordinis assumptione,*
23. *Nec Religionis professione,*
24. *Nec Apostolica dispensatione solvitur.*

20. **I**n fidelium conjugia, etiam per carnalem copulam nondum consummata, utroque conjugue in infidelitate perseverante, neque mutuo contrahentium consensu, neque ullâ aliâ humanâ potestate solvi posse, ex dictis *n. 9.* certum & ratio perspicua est; quod solvi nequeant à Papa; cum istius potestas ad eos, qui Ecclesiam per Baptismi januam ingressi non sunt, non porrigatur; juxta illud S. Gentium Doctoris, *Quid enim mihi de iis, que foris sunt judicare!* 1. Corinth. *cap. 5. v. 12.* Neque etiam propriâ ipsorum contrahentium vel publica autoritate Seculari; cum non constet, Principi aut alteri Magistratui infideli ea solvendi potestatem concessam à Deo, à quo matrimonium institutum, eique insolubilitatem collatam, *n. 5.* est demonstratum.

21. Ad Fidem autem Christianam conjugum unò duntaxat conversò solvi ipsorum conjugium, etiam quoad vinculum, potest duobus casibus. Unus est, quò in errore perseverans à converso ideò solùm, quòd iste Baptismum susceperit, discedit, eique renuit cohabitare, juxta *can. Simili 3. can. Uxor 4. can. Si infidelis 7. Sc. 28. q. 1. c. Quando 7. V. Nos igitur, hâc Rubric.* & hoc textu relatam decisionem Apostolicam, *Si infidelis discedat*, 1. Corinth. *cap. 7. v. 15.* Alter est, quò, ille converso cohabitare quidem vult: at non sine contumelia Creatoris, vel directè nomen & fidem Christi Domini depiciendò, ejusque laudes & domesticorum conversionem prohibendò, *c. Quando cit. Sc. Gaudemus 8. §. Qui autem, vel saltem indirectè fidelem ad peccatum vg. latrocinii, lenocinii, aut alterius flagitii participationem iuducendò, c. cit. can. Uxor 4. Sc. can. Idolatria 28. q. 1.*
22. Neque obstant verba Christi, *Quos Deus conjunxit, homo non separet* Matth. *cap. 19. v. 6.* quorum generalitate etiam infidelium matrimonia consummata comprehendi videntur; quia relatis casibus matrimoniale vinculum non dissolvitur Jure & autoritate humana, sed ex privilegio & dispensatione Divina: cujus favore fidei & Religionis à Christo concessa, *23. omni exceptione major testis est Apollolus cap. 7. cit. ut cum Abulensi in Lib. 1. Reg. cap. 8. q. 32. S. Bonaventura in 4. dist. 39. q. 2. Soto dist. cit. q. unica, art. 4. Henriquez Lib. 12. cap. 13. n. 5. Petr. Ledesma de Matrim. q. 59. art. 5. concl. 4. & alii observant cit. Sanchez disp. 74. n. 4. Palao Traù. 28. disp. 7. p. 2. §. 8. n. 3. & Perez Disp. 26. de Matrim. §. 4. n. 5.*
23. Hujus tamen favoris fidei ea vis non est; ut etiam duorum conjugum fidelium, ad Paganismum vel Judaismum transeuntium, unò ad Christianam fidem redeunte, alterò verò in perfidia & errore perseverante, & illi, vel simpliciter, vel sine Dei contumelia cohabitare renuente, converso jus tribuat alterius conjugii cum alio fideli ineundi, per textum & DD. *in §. Si verò alter cit.* cum enim illorum matrimonium propter susceptionem Baptismi ratum, & carnali copulâ perfectum jam sit; ac proinde insolubile Unionem Christi cum Ecclesia perfectè significet, *c. Debitum 5. de Bigami,* nullo etiam Fidei favore dissolvi quoad vinculum ampliùs potest, Barboza *in c. Quando cit. num. 5. & ibi Canisius n. 1. Dico, Quoad vinculum;* quia ejusmodi Apostasia in fide permanenti causam divortii ju-

vortii iustam præberi, patet ex *c. fin. de Convers. conjug. & c. De illa 6. hâc Rubr. Canisius in c. Quando cit. n. 2. & Barbosa in c. De illa n. 2. Hæc satis certa.*

26. Dubium autem primò est, an eò ipsò, quòd infidelis fideli, vel simpliciter vel sine Creatoris contumelia, cohabitare renuat, eorum conjugium dirimatur. Ratio dubitandi est; quia tali casu novum conjugium cum fideli iniri à converso validè nequit antè priùs initi dissolutionem: fidelis autem aliud conjugium inire potest à tempore discessus prioris conjugis infidelis; ut ad eò cum isto inutum, ipsò ejus discessu, videatur dissolvi, sicut in *c. Quando cit. cum Glossa V. Qui relinquitur*, voluerunt Innocentius, Hostiensis *n. 3. Pannormit. n. 7. Goffredus ad hanc Rubric. n. 7. & Abulensis l. cit. quest. 30. id defuentes ex can. fin. 28. q. 2. ubi relatus S. Ambrosius, ait, Contumeliâ Creatoris solvi jus matrimonii circa eum, qui relinquitur.*

27. Sed verius est, cum infideli initi matrimonii vinculum antè non solvi, quàm conversus matrimonium ineat cum alio fideli ita; ut contractus unius, alterius dissolutio sit; quòd satis clarè traditur *c. Gaudemus cit. cujus §. Super quòd asseritur*, per Sacramentum Baptismi conjugia non solvi: deinde *§. Quod si statuitur*, maritum remanente uxore conversum, si, istâ simpliciter, vel sine Creatoris contumelia, cohabitare renuente, aliam non duxit, ad illam postea conversam recipendam compellendum, manifestò indicio prioris vinculi matrimonialis nondum dissoluti, nec dissolvendi antequam conjugium ineat cum Fideli, ut cum S. Thoma in *4. dist. 39. q. unic. art. 5. Sylvestro V. Matrimonium 8. q. 10. d. 6. Navarro Manual. cap. 22. n. 49. & c. docent cit. Sanchez disp. 75. num. 4. & Valentia p. 4. disp. 10. q. 2. p. 7.*

Rationis contrariæ vis jam est enervata; sicut enim corruptio generationem, sic etiam prioris conjugii dissolutio naturâ antecedit coalitionem posterioris.

Neque urget *c. cit.* textus aut, quâ iste nititur, doctrina Apostoli *cit. cap. 17. V. 15. asserentis, Fidelem ob discessum infidelis servituti*, hoc est, prioris conjugii vinculo, non esse subiectum; quia, illius discessu subiectio tolli, & Dei contumeliâ jus matrimonii solvi, dicitur; quòd ab isto recedendi, & aliud ineundi facultas converso fiat: non, quòd matrimoniale vinculum ipsò factò sit dissolutum, ut rem hanc explicat Barbosa in *can. fin. 28. q. 2. n. 5.* si enim hoc statim & ipso discessu solveretur, aliud conjugium inire ab ipso discessu posset uterque: & non solum is, qui relinquitur seu fidelis; ac proinde, si infidelis statim aliud iniret, hoc validum foret: quod à nemine admitti, testis est *cit. Sanchez disp. 75. n. 4.*

Quantumvis autem, priusquam aliud 28. conjugium ineat conversus, alii nubere infideli non liceat, argumentò à contrario ductò ex *can. fin. cit.* eò tamen, quòd antè ligabatur, per conjugis conversi nuptias dissolutò, ad novas nuptias transitus permiffus etiam ipsi est, non solum, si ad fidem postea etiam ipse convertatur: sed etiam, si in infidelitate perseveret, ut cum Glossa in *can. cit. V. Et in matrimonium & Abulensi in cit. cap. 8. q. 127. contra D. Thomam cit. art. 5. defendunt Henriquez Lib. 11. cap. 8. n. 5. & Sanchez cit. disp. 77. n. 6. cum; quòd à novo matrimonio prohibitus nullo jure reperitur: tum verò; quòd novum conjugium inire, conjuge mortuò possit secundum omnes alicujus nominis DD. Cur non etiam conjuge converso conjugium aliud cum fideli ineunte; cum priùs initi cum ipso matrimonii vinculum, sicut morte, sic etiam novis ejusmodi nuptiis dissolvatur.*

Z z z

Dubium

29. Dubium secundò est, an, alterò converti quidem renuente, sed tamen converso conjugii sine ulla contumelia Creatoris cohabitare volente, iste nihilominus ab infideli recedere & matrimonium aliud inire valeat cum fideli. Quod cum Gratiano post *can. fm. §. Hic distinguendum, 28. q. 2.* Glossa & Panormit. in *c. Quanto cit. n. 6. & 7.* affirmant *cit. Sanchez disp. 74. n. 9. & Rebellus de Oblig. Just. Lib. 3. q. 10. f. 2.* id desumentes partim ex Concilio Toletani IV. *can. 62. can. Judæi, 28. q. 1.* relatò, ubi mulieri Judææ ad fidem conversæ cohabitatio cum viro, in Judaismo perseverante, prohibetur: partim verò; quòd, hodie saltem, infidelium animi ita obstinati sint; ut, sicut conversionis ipsorum, sic & cohabitationis sine Creatoris contumelia stabilindæ, nulla spes, & manifestum periculum sit pervertendi conjugis & huic famulantium domesticorum; ac proinde locus *arg. text. supra cit.*

Sed meliùs id negat D. Thomas *cit. art. 5.* cum Ant. de Butrio in *c. Gaudemus cit. n. 3.* Hostiensis *ibid. n. 13.* quos Sylvester, Navarrus & Valentia *ll. cit.* sunt secuti. Moventur autoritate Apostoli *cit. cap. 7. v. 12. & 13.* recessum ab infideli tali casu non concedentis; quòd iste *Per conjugem Fidelem quodammodo sanctificetur.* Idem non obsecurè supponit Innocentius III. *c. Quanto & c. Gaudemus cit.* recessum ab infideli non permittens: nisi, cum iste prior discedit, aut ejus cohabitatio conjuncta est cum contumelia Creatoris.

Neque contrarium persuadet autoritas Concilii Toletani; quia hoc non Universale, sed solummodo Provinciale est: neque de omnibus infidelibus, sed de solis Judæis loquitur: imò de istorum duntaxat uxoribus, quibus, ob specialem ejus Sectæ pervicaciam, perversionis ma-

jus periculum imminet à maritis, Barbosa in *can. cit. n. 1.*

Non major vis est rationis; quia teste Palao *cit. p. 2. §. 3. n. 10.* etiam hodie Æthiopes & Indi neophyti conjugibus infidelibus minori suæ perversionis & ruinæ spiritualis periculò, quàm illorum convertendorum spe solent cohabitare. Et si, ut ferè cum Judæo marito, sic etiam cum aliis infidelibus cohabitatio istorum convertendorum spem exiguam, & fidelis pervertendi morale periculum afferre animadverteretur, fidei ab infideli converti nolente, ad Creatoris injuriam, quæ meritò semper timeretur, avertendam, recessus permittendus esset, ut cum *cit. Sanchez & aliis, ab isto n. 9.* relatis, volunt Pontius *Lib. 7. de Matrim. cap. 48. n. 12. & cit. Barboian. 5.*

Dubium tertio est, an conjugum infidelium unò conversò, & alterò propterea ei cohabitare renuente, matrimonium etiam solvatur, Ordine sacro assumpto, vel professione Religionis, edita à converso.

Certum est, ab isto, de infidelis pertinacia certo, illos licitè assumi, iisque assumptis coniugium non instaurari, quantumvis postea etiam alter convertatur: sicut non instauratur, quando post divortium, ob uxoris adulterium legitime factum, eiusmodi status assumptus est à marito, ut cum S. Thoma *q. cit. art. 5.* & aliis docet *cit. Sanchez disp. 76. n. 6.*

An hujusmodi status assumptione 30. matrimonii vinculum dissolvatur; ut infidelis aliud matrimonium inire validè possit, controversum est inter DD. illud enim professione, & ipsa etiam sacra Ordinatione dirimi, apertè docent S. Bonaventura in *4. diff. 39. q. 2. art. 1.* Major *diff. cit. q. unica, V. Ad aliud & nonnulli alii.* Consentit ex parte aliqua, & ex alia dissentit

sentit *cit.* Sanchez, conjugium illud Religionis professione, non etiam sacri Ordinis assumptione dirimi defendens *n. 9. § 11.* Rationem reddit de professione; quod, cum matrimonium à converso initum & solummodo ratum, matrimonio infidelium consummatò fortius sit; quia non solum contractus, sed verum Sacramentum est: & in infidelitate contractum & consummatum dissolvendi vi polleat, vis hæc etiam adstruenda sit professioni Religionis, utpote dirimenti matrimonium fidelium Ratum, *c. Verùm 2. § c. Ex publico 7. de Convers. conjug.* juxta tritum illud, *Si vinco vincentem te, multò magis vinco te, l. In accessionibus 14. §. 3. ff. de Divers. temp. præscript.* De sacro Ordine; quod, huic infidelium conjugia casu aliquo dirimendi vim comperere, non exprimitur à Jure, nec ratione evincatur.

33. Sed verius ex ratione hac, sicut sacro Ordini, sic & professioni Religionis eam vim competere, cum Abulensi *in 1. Reg. cap. 8. q. 68. § 74.* meritò negant Coninck *disp. 26. dub. 5. n. 65. cit.* Pontius *Lib. 9. cap. 4. n. 19.* Palao *§. 3. n. 12.* & Perez *disp. 36. de Matrim. f. 8. n. 2.* quorum doctrinam à matrimonio infidelis sive ad fidem conversi rato ductum argumentum non infringit: partim; quia huic cum infideli antè initum & consummatum dirimendi vis à Deo collata est; ne infidelis post conversionem suam & susceptum Baptismum, vel à matrimonio abstinere, vel in prius inito perseverare cogatur cum contumelia Dei & suæ salutis periculo. Quæ ratio in eo, Religionem professò, cessat: partim verò; quod vis dirimendi matrimonium infidelium consummatum, matrimonio rato collata, sicut & vis dirimendi matrimonium fidelium ratum, indulta professioni Religionis, sint privilegia singu-

laria, & à communibus Regulis exorbitantia: singularium autem & exorbitantium extensio facilè admittenda non sit, nisi fortiter probetur *arg. Reg. Que à Jure 28. in 6. Joan. Andr. in c. 1. de Temp. Ord.* Accedit; quod fideli, sicut susceptio Ordinis sacri, sic etiam Religionis ingressus permittitur non sit, nisi conjugè infideli prius monito: & si infidelis, illò Novitiatum jam ingressò, convertatur, iste nondum professus ad regrediendum & redintegrandum cum illo matrimonium obligetur, ex doctrina *cit.* Sanchez *n. 3. § 7.* ad quorum neutrum obligatur, qui Religionis Novitiatum auspicatur post matrimonium ratum, ut rectè advertit *cit.* Perez *n. 3. in fine.* Unde iste argumento ex *l. De accessionibus cit.* deprompto locum esse negat in iis, quæ proveniunt ex diverso Jure: sicut est vis dissolvendi matrimonium infidelium jam consummatum, quæ fidelis conversi matrimonio rato Divinò: & vis dissolvendi matrimonium fidelium ratum, quæ Religiosæ professioni Ecclesiasticò Jure collata est, juxta dicta *Lib. 3. Tit. 32. n. 14;*

Dubium quartò est, an conjugum infidelium conversorum matrimonium post susceptum Baptismum, & ante huic supervenientem illius novam consummationem dissolvi valeat autoritate Papæ. Affirmat id laudatus Sanchez *Lib. 2. disp. 17. n. 2.* eà persuasus ratione; quod dispensatione solvi queat matrimonium fidelium ratum: cujus firmitas major est, quam matrimonii infidelium consummati. Sed meliori ratione id negant *cit.* Coninck *n. 66.* & Pontius *Lib. 9. cap. 2. n. 8.* quia illorum matrimonium, susceptò Baptismò, jam est matrimonium ratum & consummatum; ac proinde Christi cum Ecclesia conjunctionem indissolubilem jam repræsentat, *c. Debitum 5. de*
Zz; Bigamia;

Bigamii; ut ullâ potestate humanâ solvi amplius non possit.

Neque aliud evincit ratio allata in contrarium, cum; quia ex dissolutione rati non oriuntur incommoda, quibus obnoxia est dissolutio consummati: cum verò, quia matrimonium validum semel consummatum insolubilitatem habet à Deo: à quo ejus solvendi potestatem Ecclesiæ concessam, aut ab ista aliquando usurpatam, non constat.

ARTICULUS III.

De Dissolutione Matrimonii Fidelium Rati.

SUMMARIUM.

35. Matrimonium hoc non est omnino insolubile.
36. Solvitur professione Religionis:
37. Cui parem vim dispensationi Apostolica aliqui negant,
38. Nec levibus argumentis persuasi.
39. Melius alii concedunt,
40. Sive auctoritas,
41. Sive ratio spectetur.
42. Significatio matrimonii Consummati & Rati.
43. In isto Papa, iustâ causâ poscente,
44. Et potestate extraordinaria dispensat.
45. Referuntur varia casus iuste:
46. Quibus deficientibus dispensatio non subsistit.
47. Tertius modus matrimonium Ratum solvendi est mors.

35. **M**atrimonium hoc, licet præter vinculum ortum ex contractu, rationem etiam habeat veri ac propriè dicti no-

væ Legis Sacramenti, secundum Tridentinum *Sess. 7. & 24. utrobique can. 1.* omnimodam tamen insolubilitatem non habet; quòd ex institutione Divina, non omnino insolubilem, quæ inter Christum & Ecclesiam est humane carnis assumptione orta est: sed eam tantum conjunctionem sive unionem significet, qua fundatur in Charitate, atque inter Deum & animam justam intercedit, *c. Debitum §. de Bigamiis.*

Et ejus quidem vinculum solenni Religionis professione dissolvi, Catholicorum DD. certa sententia est: patetque ex decisionibus *c. Verum 2. c. Ex publico 7. de Convers. conjug. Extravag. Antiqua Joan. XXII. de Voto & definitione S. Synodi Tridentinæ Sess. 24. cujus Canon. VI. est, Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solennem Religionis professionem alterius conjugis non dirimi, Anathema sit. Quæ de re Lib. 3. Tit. 32. à n. 1. est actum.*

An etiam solvi valeat dispensatione Papæ, dubium & controversia gravissima est; ejus enim vinculum istâ solvi posse, negant Scotus *in 4. dist. 31. q. 1. & S. Bonaventura ibid. dist. 27. q. 2. art. 3.* quos Turrecremata *in cas. Sicut qui dicunt 27. q. 2. art. 3. n. 5. Alex. de Nevo in c. Tuas §. de Spons. duor. n. 14. Covarr. p. 2. de Sponsal. cap. 7. §. 4. n. 13. Gutierrez cit. cap. 17. n. 12. & præter alios VV. ex RR. secuti sunt Pontius Lib. 9. de Matrim. cap. 5. n. 3. & Palao *Trat. 28. disp. 3. p. 2. n. 3.**

Moventur primò; quòd conjugium Ratum dissolvendi facultas in ullo Juris textu vel Ecclesiæ traditione non fundetur, eique perspicuè adversetur *can. Hi qui 32. q. 7. c. Ex parte 14. de Convers. conjug. & c. Licet 3. de Sponsa duorum*: quorum locorum primò Nicolaus Papa conjugia ob furorem, amentiam, aliàmve infirmitatem sol-

rem solvi, inficiatur. Alterò consultus Innocentius III. Archiepiscopo Lugdunensi respondit, *Quoddam ex quo matrimonium inter legitimas personas per verba de presenti contrahitur, illis viventibus, in nullo casu possit dissolvi &c. Nisi forte secus fieret ex revelatione divina.* Postremò Alexander III. reprobatur iudicium Prædecessorum, pronuntiantium pro secundo matrimonio, quod post primum, cum una ratum, cum altera initum fuit & per carnalem copulam consummatum.

Secundò exemplis ceterorum Ecclesiæ Universalis Antistitum antiquorum, à quibus conjugii rati vinculum aliquando relaxatum, non constat: imò, ab Innocentio VIII. pro conjugii nondum consummati relaxatione supplicanti, id se non posse, disertè responsum, testis est Panormit. *in c. Ex publico 7. de Convers. conjug. n. 14.*

Tertiò; quia, si Papa in fidelium conjugii nondum consummati dispensare possit, in eo cum infidelibus sibi subiectis dispensare etiam valent Principes Gentiles; cum circa contractus, cuiusmodi eorum matrimonium ante consummationem est, non minùs, quàm circa fidelium contractus Papa, possint.

Quartò; quia etiam ratum matrimonium insolubilitatem suam habet ex Jure Divino; cum de eo etiam procedant verba, *Quos Deus conjunxit, homo non separet*, Matth. cap. 19. v. 6. eamque ob causam matrimonium hoc iis, inter quos contractum est, viventibus, ut alter ad secunda vota transeat, dissolvi sine Divina revelatione non posse, asserat sui ævi Theologorum facillè princeps & saluberrimorum Canonum Ecclesiasticorum conditor Innocentius III. *c. Ex parte cit.* In Divino autem Jure dispensare Papa non potest, *can. Sunt quidam 6. can. Statutum 7. Ec. 25. q. 1.*

Quintò; quia propterea Papa dispensare nequit in matrimonio consummato: à quo ratum non nisi accidentaliter differt; cum commercium carnale ad matrimonii integritatem, non ad essentiam pertineat. Ita isti & si ratio Jurisque textus solummodo spectentur, fatis verisimiliter.

Iis tamen non obstantibus, in matrimonio rato dispensandi potestas firmanda est Papæ: eamque isti cum Innocentio *in c. Ex publico cit. in fine & ibi* Ant. de Butrio *n. 16.* Anchorano *n. 9.* Panormit. *n. 14.* S. Antonino *3. p. tit. 11. cap. 21.* Navarro *Manual. cap. 22. n. 21.* Sylvestro *V. Divortium, q. 4.* Brunello *de Sponsal. concl. 1. n. 11.* & aliis antiquioribus adstruunt Bellarminus *Lib. 2. de Monach. cap. 38.* Suarez *Tom. 3. de Relig. Lib. 6. cap. 17. n. 21.* Lessius *Lib. 2. de I. & I. cap. 40. n. 146.* Petr. Barbosa *in Rubr. ff. Solutio matr. p. 2. n. 103.* Sanchez *Lib. 2. de Matr. disp. 14. n. 2.* & ab hoc allegati alii præcipui nominis ac notè Interpp. ac DD. quibus novissimè accessit Gobat *Experient. Tract. 10. n. 691.* asserens, contrarium sine Sedis Apostolicæ contumelia defendi jam non posse, postquam ejusmodi conjugii dispensatum est à Paulo III. & Pio IV. ter quaterve ad instantiam unius Navarri, ut *l. cit.* ipse refert: à Gregorio XIII. una die undecim ejusmodi conjugiorum vincula relaxante, teste Henriquez *Lib. 11. cap. 8. n. 11.* in Glossa *lit. F.* ab Innocentio X. præmissa accuratè causæ discussione, cum homine plebeio & absque causa bonum publicum spectante, apud Gobat *l. cit.* & à quatuor aliis summis Ecclesiæ Antistitibus, à Diana *p. 8. Tract. 1. resolut. 62. §. Et tandem* relatis: quos in re tam gravi, erroris & ignorantie Juris Divini arguere, temerarium non immeritò censet Valentia *3. p. disp. 10. q. 1. puncto 7.*

Dico, Ju.

Dico, *Juris Divini*; neque enim, si eâ, de qua sermo est, potestate summi Ecclesiæ Antistites careant, istorum illam sibi vendicantium & competere existimantium error esset solius Facti, ut cum *cit. Palao n. 4.* Neotericorum non nemo perperam credit; cum esset de solubilitate vinculi matrimonii rati, de dispensationis in eo concessæ istiusque vitii alterius conjugii honestate valoræque, qui apertè Divini Juris errores sunt, si matrimonium ratum Apostolica auctoritate insolubile, dispensatio in eo, istiusque prætextu celebratæ novæ nuptiæ Divinò Jure illicitæ & invalidæ sunt.

41. Rationem DD. *citt.* reddunt partim; quia potestas Papæ, in iis præferunt, quæ publicum Ecclesiæ & animarum bonum concernunt, extendenda est, quantum potest, hoc ipso; quòd ipsi Ecclesiæ & animarum gubernationem commissam: & quæ ad hanc exercendam necessaria aut valde proficua est, potestatem à Christo Domino plenè traditam, constat ex verbis, *Pasce oves meas, Joan. cap. 22. v. 17. & Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam: quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis, Matth. cap. 16. v. 18. & 19.* atque idcirco in votis ac juramenti ex justa causa dispensandi potestatem cum cæteris DD. indubitatè ei tribuant etiam *citt. Pontius Lib. 8. cap. 4. n. 2. & Palao Tract. 15. disp. 2. p. 11. à n. 2.* Cum ergo dissolutione matrimonii solum rati gravia Ecclesiæ mala impediri, ejusque & animarum bonum promoveri possint: ex eaque non sequantur absurda, quibus obnoxia esset dissolutio consummati, illud solvendi potestas Papæ non est deneganda: partim verò; quia Papa dispensare valet in Solenni voto Re-

ligionis, ut plurimis & præcipuis TT. & ICT. is & hos inter Covarruvia, Gutierrez & aliis oppositæ lententiæ assertoribus relatis, docet Sanchez *Lib. 3. disp. 8. n. 6.* variisque ejusmodi dispensationum exemplis illustrat Barbosa in *c. Cùm ad Monasterium 6. de Statu Monach. n. 13.* & ostensum est *Lib. 3. r. 34. à n. 49.* Ergo etiam, & multo magis in matrimonio rato, arg. Regulæ, *Si vinco vincem te, à fortiori vincam te,* quam tradit Glossa in *l. In accessionibus 14. ff. de Divers. temp. præscript.* votum enim solenne fortius est matrimonio rato; cum hoc solvat, *c. Verùm & c. Ex publico citt.*

Rationi huic non parùm roboris inde accedit; quòd conjugii rati vinculum dissolvendi vis Religiosæ professionis voto competat ratione solius Solennitatis; cum votum simplex matrimonium dirimendi vi destituatur, *c. Consuluit 4. r. Rursus 6. Qui cleric. & vovent. & c. Unic. in fine, de Voto in 6.* solennitas autem voti ex sola Ecclesiæ Constitutione & auctoritate Apostolica habeatur, *c. Unic. cit. §. Nos attendentes, & Constitut. Gregorii XIII. qua incipit Ascendente edita 8. Calend. Jun. 1584.*

Neque refert, quòd ejusmodi votum non sit Sacramentum, sicut est matrimonium baptizatorum; quia omni moda insolubilitas matrimonii non provenit præcisè ex ratione Sacramenti; cum quatenus Sacramentum est, non habeat effectum indelebilem, scilicet characterem: & ut dictum est, solvi possit professione Religionis: sed ex institutione Divina & perfecta significatione vinculi insolubilis inter Christum & Ecclesiam, quam baptizatorum matrimonio consummatio asfert. Quam ob causam verba Christi, *Quos Deus conjunxit, homo non separet:* licet & ea quæ de uxore, exceptâ fornicatio-

fornicationis causâ, non dimittenda subii-
ciuntur, de matrimonio consummato
intelligenda, monet Alexand. III. *c. Ex
publico cit. in fine.*

43. Neque omnimodam rati insolubili-
tatem evincunt pro ea allegati textus;
quia imprimis *can. Hi, qui cit.* eique con-
sona & *can. Cum per bellicam, 34. q. 2.*
relata Christi verba, *Quod Deus conjun-
xit, homo non separet*, Matth. *cap. 19.*
v. 6. sicut & his subjecta, *Quicumque
dimiserit uxorem &c. nisi ob fornicatio-
nem, machatur*, de matrimonio per car-
nalem copulam consummato exaudienda,
liquet ex Apostolica eorum declaratione
c. Ex publico 7. in fine, de Convers. conjug.
Deinde; quia *c. Ex parte cit.* non
fida relatio est; cum eò, matrimonium
ratum, istò conjunctorum utroque vi-
vente, aliter quam Divina revelatione
solvi non posse, Papa non asserat, sed
solummodo referat, quòd *Id possit vide-
ri.* Quò tamen ipse nihil motus ejus
vinculò conjunctorum uni, alterò incon-
sulcò, permillum ait ingressum Religio-
nis; qui, cum tale matrimonium dirimat
Jure solum Ecclesiastico, ut cum
Hostiensis *in c. Ex publico cit.* Joan. Andr.
ibidem n. 9. & aliis ostensum est *Lib. 3.*
tit. 32. à n. 14. id à suprema Ecclesiæ
Christique in terris Vicaria potestate dis-
solvi etiam alia ex causa valebit. De-
mum; quia *c. Licet cit.* solummodo re-
ceditur à factò Prædecessorum, pronun-
tiantium pro valore secundi matrimonii
consummati, initi motu proprio, &
non petità vel obtentâ Apostolicâ dispen-
satione.

Neque pro eadem faciunt memora-
ta exempla antiquorum; quia, sicut de
indulta, sic & de denegata à VV. sum-
mis Pontificibus ejusmodi dispensatione
non constat: & contra constat de ea à
diversis eorum successoribus, ut Gobat

Tract. cit. n. 891. observat, concessa fa-
cile trigesses, & plerumque præviâ ne-
gotii accuratâ discussione & adhibitâ DD.
consultatione. Unde Innocentii VIII.
& aliorum, ejusmodi dispensationem à se
concedi posse negantium, inficiationes non
de potestatis absolutæ, sed justæ ac suf-
ficientis causæ defectu accipiendas, mo-
nent DD. numerò & nomine potiores;
cum facere id solum posse dicamur, quòd
à nobis fieri justè honestèque potest, *can.
Faciatur, 22. q. 2. & l. Nepos 125.* ibi, *Cum
salvâ dignitate meâ potero*, *ff. de V. S.*
*Glossa in can. cit. V. Quod potest, & Cle-
ment. Sape 2. V. Poteris, de V. S. & Gaill.*
Lib. 2. observat. 56. n. 9.

44. Non magis urget tertio locò dedu-
cta ratio; quia matrimonium ratum à
Papa non Ordinariâ merèque humanâ,
qualem duntaxat respectu subditorum
suorum obtinent Principes infideles: sed
illi superadditâ extraordinariâ potestate
& autoritate divinâ, Deique vice dis-
solvit, *cit. Diana §. Nec etiam, & Pe-
rez disp. 20. f. 6. n. 16.*

Neque quartò locò subjecta; quia,
licet matrimonium ratum, perinde ut
consummatum, ab ipsis contrahentibus
insolubile sit Jure Divino, id tamen sol-
vendi potestatem Papæ, suo in terris Vi-
cario, Joan. *cap. 21. v. 17.* & Matth. *cap.*
16. v. 18. & 19. concessam: & verba,
Quod Deus conjunxit &c. de consumma-
to intelligenda, ex dictis liquet.

Neque postrema; quia, ut taceam;
quòd, si intentum probaret, etiam e-
vinceret, matrimonium ratum solvi non
posse professione Religionis, contra ex-
pressos textus *c. Ex publico cit. & c. Ve-
rum 2. & c. de Convers. conjug.* & licet ra-
tum à consummato non differat essentia-
liter, ab isto tamen differt, sicut integra-
liter imperfectum à sic perfecto, Diana
Resol. cit. §. Restat: quâ integrali per-
fectione

fectione cum indissolubili vinculi sive unionis Christi cum Ecclesia significatio perficiatur, mirum non est; quod consummatum minus solubile sit, quam ratum, quod Christi cum anima fidei conjunctio per gratiam & Charitatem; ac proinde non omnino insolubile vinculum significatur, ex decisione Apostolica *c. Debitum 5. de Bigamia*, ubi laudatus Innocentius III. *Professò*, inquit, *conjugium illud, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud conjugium designandum, quod inter Christum & Ecclesiam per Incarnationis mysterium est contractum.*

45. Porro causa, ad dispensationem in hujusmodi sive rato matrimonio impetrandam, secundum *cit. Sanchez disp. 16. à n. 1. Perez s. 7. n. 13. & Gobat n. 691.* sufficientes sunt Primò, valde notabilis inæqualitas inter sponfos. Secundò, inter hos eorumve consanguineos metuendæ graves inimicitia, rixæ, cædes, scandala. Tertio, matrimonio rato superveniens impotentia vel etiam lepra, aut alia infirmitas, matrimonii usum impediens; ideòque textus *can. Hi, qui matrimonium, 32. q. 7.* de matrimonio consummato est intelligendus. Quarto, si contrahentium alter constanter assereret, se non habuisse animum contrahendi. Quintò, si vir electus in Episcopum bono publico valde utilis reputaretur: quibus addere lubet casum, quod sponsa, præsertim Regiæ, dum ad sponsum deduceretur, ab hostibus intercepta, liberandæ aut recuperandæ non esset spes. Sed hinc ulterius,

46. Dubium est de valore dispensationis, in matrimonio rato à Papa indultæ, sine justa causa. Quam cum Glossa *fin. in c. Ex publico cit.* pro valida habent Goffredus *ibidem* & Berolius *in c. Quæ in Ecclesiis 7. de Constitut. n. 104.* eâ per-

suasi ratione; quod matrimonii rati insolubilitas habeatur ex Jure solum Humano: quod, etsi cum plerisque aliis neget Henriquez *Lib. 11. cap. 8. n. 11.* Glossæ tamen Opinionem etiam ipse sequitur, moveturque ea ratione; quod, etiam justâ causâ deficiente, valide dispensandi potestas Papæ à Christo sit concessa: eamque ipsi ita concedi, ad tollendam rerum & conscientiarum perplexitatem omnino necessarium, aut saltem valde expediens fuerit. Sed etiam hujus rationis vis magna non est; cum perplexitas ista satis tollatur; quod in dubio, justam causam intervenisse, semper possit & debeat præsumi, ut rectè advertit *cit. Gutierrez cap. 53. n. 3.*

Quare probabilius ejusmodi dispensatio sine justa causa concessa invalida est, & pro tali habetur à Doctore *cit. & Sanchez Lib. 1. disp. 15. n. 61.* quod ea, quam matrimonium ratum habet, insolubilitas, juxta communem ferè omnium alicujus nominis DD. sensum, descendat ex Jure Divino: in quo, non pro libitu, sed exigente aut suadente justa causa & cum ratione, dispensandi potestatem Papa à Deo accepit, ut cum S. Thoma *2. 2. q. 88. art. 12. & Glossa in c. Non est 5. V. Adimplere. de Voto* passim tradunt TT. & Canonistæ; alias enim ei, sicut ad ædificationem, sic & ad destructionem ac dissipationem concessa fuisset.

47. Extra casum, quò in matrimonio rato dispensatum, aut conjugum alter Religionem ingressus & professus est, ad novas nuptias transire, conjugum neuter potest, antequam inter eos initi conjugii vinculum alterius morte sit dissolutum, *can. Cum per bellicam, 35. q. 2. c. In presentia 19. de Sponsal. & c. Dominus 2. de Secundis nupt.*

ARTICULUS IV.
De Dissolutione Ma-
trimonii Fidelium Consum-
mati quoad Vinculum.

SUMMARIUM.

48. Iffius Conjugii vinculum solvitur morte naturali,
49. Non humana auctoritate quacun-
que;
50. Idque ex Divina institutione:
51. Contra quam Moisaicâ,
52. Et Romanis legibus uxoris Repu-
dium introductum,
53. Et non toleratum tantum:
54. Sed ex justa causa Hebrae,
55. Et verifimiliter etiam Gentibus a-
liis licitum:
56. Evangelicâ tamen lege antiqua-
tum fuit.
57. Haereticorum conjugium ob fornicationem solvi, afferentium error,
58. Eiusque fundamenta.
59. Veritas Catholica, illud quoad vin-
culum ex ea causa solvi, negat,
60. Et fundatur in precepto Christi,
61. A S. Paulo explicato:
62. In matrimonii fidelium consumma-
ti significatione,
63. Constitutionibus Apostolicis,
64. Conciliorum definitionibus,
65. Et ratione.
66. Christus ex causa fornicationis se-
parationem à thoro & habita-
tione:
67. Non ipsius vinculi dissolutionem
permisit.
68. Et veterum Repudium ex parte tan-
tum approbavit.
69. Neque plura Canones Ecclesiastici
concedunt.

Matrimonia Fidelium Consummata quoad ipsum vinculum solvuntur conjugum alterius morte naturali, quæ omnia solvit, *Novell. 22. cap. 20.* non etiam sive privatâ eorum, inter quos consistunt, sive publicâ, etiam Apostolica auctoritate, & ex quacunque causâ, ut à S. Synodo Tridentina definitum est *Sess. 24. cujus de Sacramento Matrimonii Canon. V. est, Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestantem cohabitationem, aut affectatam absentiam à conjugè, dissolvi posse matrimonii vinculum, Anathema sit.* Idem de adulterii causâ *Canon. VII. infra referendò est expressum.* Ratio est; quòd matrimonii consummatione conjuges una caro efficiantur, *can. Agathosæ, 27. q. 2. c. Verùm 2. de Convers. conjug. & c. Martinus 4. de Cognat. Spirit.* eique consummatione perfectò ex Divina institutione insit perfectâ significatio admirabilis illius unionis, quâ Verbum Caro factum & Ecclesiæ conjunctum est, *c. Debitum 5. de Bigamis;* atque idcirco, sicut unio ista, sic & matrimonium fidelium consummatum ullâ humanâ, etiam Apostolicâ auctoritate solubile non fit; cum, ut Alexander III. *c. Ex publico 7. in fine, de Convers. conjug.* advertit, de ipso propriè procedat illud Christi Domini, *Quod Deus conjunxit, homo non separet,* *Matth. cap. 19. v. 6.* Pro cuius Orthodoxi dogmatis ampliori declaratione

Dubium movetur primò, an matrimonii consummati vinculum solvi ante legem Evangelicam potuerit. Et in lege quidem Naturæ illius vinculum indissolubile fuisse, exploratum est ex illo Christi Domini, Phariseis, de uxoris dimittendæ licentia sciscitantibus, inter alia reponentis, *Ab initio autem non fuit sic, Matth. cap. 19. v. 8.* sive ex primâ eâ-
que di-

A a a a

que divina matrimonii institutione uxoris dimissio permiffa non fuit.

51. Mosaicâ autem lege eâque promulgata dispensatione Divina Hebrææ Gentis viris uxorum repudium fuisse permiffum, liquet ex verbis Deuteronomii. *Si acceperit homo uxorem & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam faditatem, scribet libellum repudii & dabit in manu illius & dimittet eam de domo sua, cap. 24. v. 1.*
52. Simili modò, uxorum dimissionem & diremptionem conjugiorum legibus Romanis permiffam, constat ex *Rubr. & text. ff. de Divortii & repudiis*: inter quos nuptias dirimendi modos, licet non rarò confundantur, illud discriminis intercedit; quòd divortium solam uxorem: Repudium autem sponsam, sive de futuro sive de præfenti, *l. Divortium 2. Rubr. cit. l. Inter suprum 91. §. 1. & l. Inter divortium 191. ff. de V. S.* & aliquando, largiùs tamen sumptum, ipsam quoque uxorem spectet, *§. 1. cit. & l. Si qua 12. ff. de Ritu nupt.* cujus pr. Ulpianus ait, *Si qua mihi uxor fuit, deinde à me repudiata nupsit Seio, quem ego postea arrogavi, non sunt nuptia incesta*, Tholosan. *Lib. 9. Syntag. cap. 15. n. 9.* & Berchæus in *l. Inter divortium cit. à n. 1.* Unde
53. Dubium secundum nascitur, an repudium Judæis licitum, vel solummodo ad graviora mala excludenda permiffum ac toleratum fuerit; illud enim ad hæc præcavenda ipsis solummodo permiffum, cum S. Hieronymo *Lib. 3. in Matth. cap. 19.* Lyrano in Deuteron. *cap. 24. post pr. Magister Sent. in 4. dist. 33. Notus dist. cit. q. & art. 2. concl. 2.* & cum Innocentio in *c. Gaudemus 8. hæc Rubr. n. 1.* Hostiensis *ibid. §. Qui autem, Alex. de Nevo §. cit. n. 5.* volunt Tholosan. *cit. Lib. 9. cap. 16. n. 9.* Tiraquell.

Connub. l. 9. n. 5. Navarrus *Confl. 3. de Convers. infid. in fine, Covarruvias p. 2. de Sponsal. cap. 7. §. 4. n. 4.* & alii, præcipuè ducti verbis Christi, *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permiffit vobis, dimittere uxores vestras*, *Matth. cap. 19. v. 8.* & autoritate Innocentii III. *c. Gaudemus §. Qui autem cit.* repudium Hebræorum à Christo Domino, reprobatum, disertè asserentis. Unde, id revera illicitum & tanquam minus malum in veteri Testamento permiffum seu toleratum, ajunt.

Verius tamen, repudium Hebræis ex justa causa verè licitum & à Domino Deo, nuptiale vinculum contra primævam ejus institutionem per modum dispensationis relaxante, concessum fuisse, cum D. Thoma 1. 2. q. 102. art. 5. ad 3. Panormit. in *c. Gaudemus cit. n. 10.* Gaëta in *cap. Ad limina, 30. q. 1. §. 4. n. 203.* Paludano *cit. dist. 33. q. 1. art. 2.* Abulensi in *Matth. cap. 19. q. 46. & 49.* Eckio de *Sacram. h. mil. 74.* sustinent Bellarmin. *Lib. 1. de Matrim. cap. 17.* Becanus de *Sacram. cap. 47. q. 2. n. 3.* & in suis *Tract. de Matrim. Petr. Ledesma q. 68. art. 3. concl. 1. & 2.* Sanchez *Lib. 10. disp. 1. n. 7.* Pontius *Lib. 7. cap. 50. n. 1.* & Perez *disp. 55. §. 1. n. 2.* id desumentes ex relato Deuteron. *cap. 24. v. 1.* & illò Prophetæ de uxore dicentis, *Cum eam odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus, Malach. cap. 2. v. 16.* Eâ autem dimissione factâ, sicut viro aliam ducere, sic & dimissæ alteri viro nubere concessum, etiam supponitur verbis, *Cumque uxor alterum maritum duxerit, & iste quoque dederit ei libellum repudii, vel certè mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, cit. cap. 24. v. 3.* Accedit; quòd Levitici *cap. 21. v. 13.* specialiter cautum sit; ut Sacerdos uxorem viduam & repudiatam atque metreticem non accipiat, argumentò non obscuro,

obscuro, aliis viris, sicut viduam aut meretricem, sic & repudiatam ducere licuisse; ut quid enim speciali prohibitione opus fuit respectu Sacerdotis, si id indiscriminatim omnibus inhibuit? Accedit; quia repudium & repudiata cum alio viro nuptias Divina lege non solum toleratas, sed concessas licitasque fuisse, inde etiam manifestum est; quod in veteri lege neque illud, neque ista reprehensa aut reprobata reperiantur. Unde confectaneum est, uxoris repudiò, secundum veteris legis præscriptum factò, nuptiale vinculum Divina dispensatione dissolutum: & sicut mariti cum alia post prioris repudium ducta, sic & repudiata uxoris cum alio viro copulationem ab adulterina consuetudinis culpa & probro fuisse immunem. Quod, permisso repudiò, omnino conveniens fuit; ne, si repudiata uxor perpetuò se continere & in nupta manere cogeretur, adulterii periculis exponeretur. Confirmatur; quia, si repudiò nuptiale vinculum dissolutum non fuisset; ut ea à viro, cui postea nupsit, dimissa, eòve mortuò, à priori viro reciperetur, ad excludendum peccati & ex isto imminens animæ periculum omnino optandum & nullatenus prohibendum fuisset contra, quam à Domino Deo factum est Deuteronom. cap. 24. cuius V. 4. dicitur, *Non poterit prior maritus recipere eam in Uxorem.*

Neque, repudiò libellum illicitum & tanquam minus malum ad majora vitanda veteri lege permissum, evincunt in eam rem allegata Christi Domini verba; cum lege illa promulgata Divina dispensatione illius libellus tanquam minus bonum introductus & concessus fuerit intuitu fragilitatis & obstinationis Judæorum, ad uxorum, quas oderant, dimissionem valde pronorum. Minus urget e. *Gaudemus eis.* textus; quia istò libellus

ille à Christo Domino pro nova duntaxat sive Gratia, veteri & scripta lege multò perfectiore, reprobatus fuit.

Dubium tertio est, an repudium, 55. sicut Hebræa, sic cæteris quoque Gentibus licitum fuerit, veteri lege durante. Illud enim his illicitum fuisse, cum Soto *cit. dist. 33. q. 9. & art. 2. concl. 1.* existimant *cit. Sanchez n. 8. & Perez f. 2. n. 2.* quòd repudium repugnet primavæ conjugii institutioni: in qua ad illud cum Hebræa (non etiam cum cæteris gentibus) dispensatum, ex Divinis utriusque Testamenti tabulis constat. Verùm; quia, cum his quoque ad uxorum pluralitatem à Deo humanorum corporum absoluto domino dispensatum, neutrius Testamenti tabulis perhibetur, & tamen Divinam in ea dispensationem ad cæteras gentes porrectam, cum S. Augustino *Lib. 22. contra Faustum cap. 47.* Bellarmino *cit. Lib. 1. cap. 11. Valentia Tom. 4. disp. 10. q. 1. punto 3. & aliis Tit. 4. n. 8.* insinuatum est, Divinam repudiò permissionem ab Hebræa ad cæteras gentes extensam, cum Abulensi in *Matth. cap. 19. q. 76.* verisimiliter opinantur Veracrux *Speculi p. 2. art. 13. 1010, & Pontius cit. cap. 50. n. 2.* quòd istarum quoque moribus, sicut uxorum pluralitas, sic & repudium receptum, ejusque forma Romanis & aliarum gentium legibus fuerit præscripta, ut ex aliis perhibet Tholosan. *cit. Lib. 9. cap. 15. à n. 9.*

Sed, utcumque ista sint, lege Evangelicæ 56. licæ *Matth. cap. 19. v. 6.* repudiò libellus & licentia antiquata, & nuptiale foedus, sicut ad monogamiam, sic etiam ad primavæ insolubilitatem à Christo Domino revocatum est aded; ut neque à Christianis neque Paganis aut Judæis legitimæ uxori viventi, sive retentæ sive dimissæ, alia superinduci queat: & ab infidelibus, si à Paganismo vel Judaismo

A a a 3

ad fidem

ad fidem conversi Baptismi lavacrò regenerentur, ex pluribus, quas successivè duxere, uxoribus prima, eaque sola retinenda vel recipienda sit saltem, si ea ipsis sine Creatoris contumelia consentiat cohabitare, ut Tiberiadis Episcopo Innocentius III. *c. Gaudemus cit. 1. §. Qui autem*, rescriptit, *citr. Sanchez à num. 10. & Perez n. 3. & 4.*

57. Dubium quartò & Orthodoxos inter nostrique temporis Sectarios, Lutheri præsertim & Calvini a seclis, agitata per celeberrimam controversiam est, an in lege Evangelica matrimonii fidelium consummati vinculum dissolvi queat ex causâ fornicationis, sive adulterii à conjugum altero perpetrati. Cui occasionem præbuere Divina duo Servatoris nostri Oracula à S. Matthæo Evangelista relata. Unum *cap. 5. v. 31. & 32. verba sunt. Dicitur est autem, Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum Repudiij. Ego autem dico vobis, Quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mæchari: & qui dimissam duxerit, adulterat.* Alterum *cap. 19. v. 9. Dico autem vobis: quia, quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, & qui dimissam duxerit, mæchatur.* Quibus Servatoris nostri dogmatis inserta verba, *Exceptâ fornicationis causâ & Nisi ob fornicationem*, id, quod extra casum & causam fornicationis conjugii innocenti permillum non est, ut scilicet uxorem adulteram dimittat & aliam ducat, permillum insinuatur ex causâ fornicationis sive eò casu, quò adulterio polluta uxor conjugalis thori fidem violavit; ac proinde, hòc casu vinculum matrimonii fidelium consummati diremptioni obnoxium esse, contendunt; ut vir innocens, dimissâ uxore adulterâ, aliam ducere queat; quia exceptio ex natura & significatione sua ponit oppositum ante-

cedentis, cui immediatè adversatur, per ea, quæ *arg. Reg. Peccatum 4. in 6. & 1. Actione 4. C. de Transact.* cum aliis, quos congerit, DD. tradit Barbosa *Ufusq. dist. 217. à n. 2.* Quam illationem suam

Confirmant Sectarii primò; quia relata Christi Domini verba accipi nequeunt de sola uxoris dimissione quoad thorum & cohabitationem, cum; quia de hac sola accepta non congruerent interrogationi Phariseorum, non de ista, sed de omnimoda & quoad ipsum vinculum dissolutione proponendum quæstionem: tum verò; quia Christus uxorem suam ex alia, quam fornicationis causâ dimittentem redarguit mæchari sive criminis adulterii: cuius reus vir non est uxoris suæ ex alia quàm fornicationis causâ, facta dimissione à thoro & cohabitatione; sed ex eo; quòd eâ dimissa alteri copuletur. Ergo, qui, uxore suâ ex fornicationis causâ dimissâ, ducit aliam, non mæchatur; ac proinde eò, quod cum adultera constitit, quoad vinculum dissolutò, matrimonium in initum cum alia, legitimum erit.

Confirmant secundò; quia divortium novæ & Evangelicæ legis à Christo Domino subrogatum est repudio legis antiquæ per Moysem promulgatæ. Ergo, sicut repudiò antiquæ, sic novæ legis divortio, ex iusta scilicet fornicationis causâ instituto; matrimonium quoad ipsum vinculum dissolvitur.

Confirmant tertio, autoritate Zachariæ Papæ, cuius *can. Concubini 12. q. 7.* relatum decretum est, *Concubini cum sorore uxoris tuæ? Si fecisti, neutram habeas: & si illa, qua uxor tua fuerat, conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat in Domino, cui velit.* Cui decreto similia ex S. Ambrosio *in Epist. 1. ad Corinth. cap. 7. can. Uxor 17. q. cit. & ex Concilio apud Vermerias celebrato, can. Si qua mulier 31. q. 1.* referuntur, iisque

is que textibus omnibus conjugii innocenti, ex causa fornicationis sui consortis, nuptiæ cum alia aliõve permittuntur.

59. Sed ista, quantamcunque veri speciem primo occurru exhibeant, re accuratiori æstimatione discussâ, minimè efficacia & inimica sunt Orthodoxæ Veritati, contrariâq; perpetuæ & ab ipso nascentis Ecclesiæ primordio ad nostra usque tempora propagatæ traditioni Ecclesiæ, divortio ex fornicationis causa instituto nuptiale vinculum dissolvi inficiantis: & conjugii innocenti à communi thoro & habitatione duntaxat, non etiam, quam diu conjux fidei thorique conjugalis violati reus superstes est, ad alia vota transitum permittentis. Quæ Ecclesiæ Traditio & veritas Catholica fundatur

60. Primò, in generalibus & omnino perspicuis assertionibus Christi Domini, *Quicumque dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, adulterium committit super eam: & si uxor dimiserit virum suum & alij nupserit, mæchatur, Marci cap. 10. v. 11. & 12. & Omnis, qui dimittit uxorem suam & alteram ducit, mæchatur: & qui dimissam à viro suo ducit, mæchatur, Lucæ cap. 16. v. 18.* quarum assertionum generalitate, conjuge suò ex quacunque causa dimissò ac superstite eum, à quo dimissus est, alteri copulari sine adulterii crimine non posse: unaque supra ex Matth. cap. 5. & 19. relatis exceptionibus conjugis dimissionem ex causa fornicationis in Evangelica lege quoad thorum duntaxat & cohabitationem permittam, declaratur; nam ut pulchrè S. Augustinus Lib. 1. de Adult. conjug. cap. 9. ait *Quicumque uxore sua dimissa alteram ducit, sine dubio ibi sunt ambo, & qui præter & qui propter causam fornicationis dimittit; hoc enim Quicumque, hoc est Omnis, qui dimiserit.*

61. Secundò, conjuge ex quacunque eti-

am fornicationis causa dimissò & superstite; ei, à quo dimissus est, ad alia vota transitum illicitum, & conjugii fidelium consummati vinculum omnino insolubile esse, desumitur ex *Epist. 1. ad Corinth. cap. 7. cujus V. 10. S. Gentium Doctor, Lis, inquit, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quod si discesserit (ex quacunque causa licita puta ob fornicationem) manere innuptam aut viro suo reconciliari.* Quò locò Apostolus etiam declarat verba Christi Matth. cap. 5. & 9. nam, ut idem S. Augustinus cit. Lib. 1. cap. 1. 2. & 21. Lib. 1. de Serm. Domini cap. 26. & alibi ait, cum Apostolus dicit de muliere, ut si discesserit, maneat innupta aut viro suo reconcilietur, loquitur de casu, quò integrum est mulieri discedere, nempe ob viri fornicationem; aliàs enim determinatè ei præciperet reditum & reconciliationem: non permetteret ejus arbitrio, an manere innupta seque continere, aut viro suo reconciliari velit.

62. Tertiò ejusdem vinculi nuptialis omnimoda insolubilitas desumitur ex significatione matrimonii fidelium consummati, ex Divina institutione perfectè representantis perpetuam & insolubilem conjunctionem Christi cum Ecclesia per assumptionem carnis humanæ, c. *Debitum 5. de Bigamia*, juxta illud Apostoli, *Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo & Ecclesia, Ephel. cap. 5. v. 32.* in ea enim significatione matrimonium fidelium consummatum deficeret, si ejus vinculum per se perpetuum & insolubile non esset. Ex qua ejusmodi matrimonii significatione ejus omnimodam insolubilitatem, cum S. Augustino Lib. de Bono conjug. cap. 7. 18. & 23. Lib. 1. de Nupt. & Concupisc. cap. 10. &c. desumit S. Thomas 3. p. q. 67. art. 1. ad 4.

Quartò

63. Quarto, neutri conjugum, altero vivente, aliud matrimonium ex quacunque causa permittitur, defimitur ex Apostol. *Can. 47.* quò à communione fidelium segregari jubetur *Laicus*, si, cum suam à se uxorem abjicit, alteram duxit, aut ab alio dimissam: ex Evaristi, Papæ à D. Petro IV. *Epistola 2.* ubi neque ab Episcopo Ecclesiam neque ab Ecclesia Episcopum debere deseri, ait, *Sicut vir non debet ducere aliam, neque uxor alium, etiamsi vir fornicatus fuerit:* ex Innocentii I. *Epist. 3. ad Exuperium Episcopum*, cuius *cap. 6.* *Qui interveniente, inquit, repudiò, alijs se matrimonio copularunt, in utraque parte adulteros esse, manifestum est:* ex Alexandri III. rescripto relato *c. Ex parte 9. de Sponsal. & matrim.* ubi virum; ut, superinductà dimissà, ad uxorem suam redeat, compelli iubet ex ea ratione; *Quia nemini licet uxorem suam sine manifesta fornicatione dimittere: & tunc eam sibi reconciliare debet, aut ipsa vivente se continere.* Quibus aliisque Apostolicis constitutionibus consonas praeceptorum Ecclesiae PP. ac DD. sententias & Synodalia decreta Bellarminus *cit. Lib. 1. cap. 16.* Valentia *cit. 9. 10. puncto 7.* & Polemici alii plenà manu dabunt.

64. Quinto, eadem Veritas definita est ab Oecumenicis Concilijs Florentino ac Tridentino, in quorum illo Eugenius Papa in Decreto Unionis §. *Septimum, Quamvis autem, inquit, ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est; cum matrimonij vinculum legitime contracti perpetuum sit:* istius autem de coniugii in proposito fornicationis casu insolubilitate Canon. VII. est, *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit & docet iuxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonij vinculum non posse dis-*

solvi, & utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjugis vivente, aliud matrimonium contrahere, mæcharique eum, qui, dimissà adulterà, aliam duxerit, & eam, qua, dimissò adulterò, alij nupserit; anathema sit.

Sextò, eadem firmatur incommo-
dus, quæ coniugii fidelium consummati ex causa fornicationis quoad vinculum dissolutionis afferret; quia imprimis eà via aperiretur innumeris divortijs, ad quæ perveniendi & alijs votis locum faciendi animò adulteria non rarò committerentur; contrà verò ademptio spei alio matrimonio ante coniugis dimissi obitum potuendi, sèque factò divortio continendi vel reconciliandi obligatio excludit. Quà ratione ad Catholici dogmatis veritatem stabilendam, & demonstrandam convenientiam utilitatemque omnimodè insolubilitatis matrimoniorum consummatorum usi sunt S. Hieronymus in *Matth. cap. 19.* & Innocentius III. *c. Quamvis. 7. h. Rubric. in fine.* Deinde, ex ea commodum reportaret conjux adulter; cum tò ipsò; quòd, innocente ad alia vota transiente; matrimonij vinculum dissolveretur, aliud matrimonium inire etiam posset nocens sive adulter dimissus; itaque ipsius conditio melior foret, quam est conjugis, nullà suà culpà v.g. ex causa gravis morbi aut ex odio & per injuriam à thoro & cohabitatione perpetuò exclusi; cum talis inire nequeat aliud matrimonium: cujus tamen contractus ex adulterii causa dimisso licitus esset, Cornel. à Lapide in *Matth. cap. 19. v. 9. ad finem.* Demum cederet in grave damnum ac præjudicium prolis; cum ex conjugio ante ejus dissolutionem natis male consultum foret, si novis conjugijs ab utroque parente initis pro patre vitricum, vel pro matre novercam inciperent habere. Qua

Quâ ratione ductus S. Ambrosius in *Luca cap. 16.* propter filios à patre matris culpæ ignoscendum, ait:

66. Ex hætenus deductis facili negotio diluuntur, quæ Catholicæ Veritati ab Heterodoxis obijciuntur; cum ex S. Matthæo allegata verba Servatoris nostri de uxoris ex causa fornicationis dimissione, non ipsius vinculi nuptialis dissolutionem, sed à thoro duntaxat & cohabitatione separationem importante, exaudienda sint; ut cum ejusdem nostri Servatoris ex Marci *cap. 10. v. 11.* & *Lucæ cap. 16. v. 18.* allegatorum textuum generalitate & à S. Paulo proposito Domini præcepto plenè conciliantur. Ex qua etiam ratione verba, *Exceptâ fornicationis causâ & Nisi ob fornicationem* referenda sunt ad sola verba antecedentia; ut sensus sit *Omnia & Quicumque* dimiserit uxorem suam extra causam fornicationis mœchatur, aut facit eam mœchari; quod ei sine justa causa dimissæ occasionem fornican- di præbeat; ut dimissæ fornicatio dimittenti imputetur: non ad verba subsequen- tia; ut argumentò ducto à contrario is, qui, uxore ex fornicationis causa dimissa, aliam duxerit, aut qui ex illa dimissam duxerit, non mœchari intelligatur. Ita certè exceptionem illam cum S. Thoma in *4. dist. 35. q. unica, art. 5. ad 4.* & S. Bonaventura *ibid. art. Unic. q. 4. ad 2.* melioris notæ Interpp. exponunt ad mentem S. Augustini *Lib. 2. de Adult. conjug. cap. 9.* & S. Gentium Doctoris, uxorem discedentem vel dimissam, ut in- nupta maneat, aut viro suo reconcilietur, monentis *1. Corinth. cap. 7. v. 10.* Accedit; quod, etiamsi exceptio illa ad sequen- tia & antecedentia verba referatur, Catholicæ tamen veritati non adversetur; cum secundum Theophylactum & S. Augustinum *Lib. contra Adimantum cap. 3.* tam eum, qui uxorem ob aliam quam

fornicationis causam perpetuò dimittit, quam illum, qui dimissam ducit, mœchari denotet; quia matrimonii & uxoris suæ infantis jus violat injusta dimissione, eam mœchari faciendò & aliam ducendò, ut in *cap. 19. cit.* ex Hebraica lectione eruditè ostendit Cornel. à Lapide §. *Tertio.*

Neque cum utroque hoc exceptionis sensu pugnat ei opposita tergemina confirmatio;

Prima partim; quia, etiamsi Christi ^{67.} Domini responsio Phariseis reddita de sola uxoris adulteræ dimissione quoad thorum & habitationem accipiatur, congrua tamen fuit & satisfacit illorum interrogacioni, de dimissione perfecta & quoad ipsum vinculum formatæ; cum enim perfecta sive quoad vinculum dimissio includat duo, scilicet uxorem dimittendi & aliam ducendi potestatem, Christus ea sejungens, unum scilicet uxoris dimissionem & hanc ad solam fornicationis causam restrictam concessit; alteram denegavit; itaque repudium ex parte tantum, sicut quoad uxoris ex sola fornicationis causa dimissionem perpetuam approbavit: ex parte verò, scilicet quoad dimissionem ex alia quam fornicationis causa, & quoad potestatem ducendi aliam improbavit: & conjugium, sicut quoad monogamiam, sic & quoad insolubilitatem vinculi ad Divinæ & primævæ institutionis statum revocavit, *cit.* Bel- larmin, *cap. 17. ad 3.* Sanchez *disp. 2. n. 8.* & Becanus *cap. 47. q. 3. n. 9.* partim verò; quia uxorem suam, extra fornicationis causam à Christo approbatam, dimittens, etiamsi aliam non ducat, mœchari tamen rectè dicitur; quod, ut rem hanc Christus Dominus ipse explicat *Matth. cap. 5. v. 32.* faciat eam mœchari; cum, sine justa causa factâ dimissione, eam temerè exponat occasione & periculo fornicationis; ut hæc ei meritò imputetur: & si

B b b

insuper

insuper aliam ducat, Mœchia criminis ex duplici capite sit reus, *cit. S. Augustinus cap. 3. & Bellarmin. ad 3.*

68. Secunda; quia, juxta dicta, Repudium veteris in nova & Evangelica lege Divortium subrogatum est quoad solam uxoris dimissionem, sive separationem à communi thoro & habitatione eamque ex unica causa fornicationis: quoad ejus autem dimissionem ex aliis causis & quoad potestatem eâ, quæ ex fornicationis causa dimissa fuit, superflite ducendi aliam, illud antiquatum est, ex mente Abulensis in *Matth. cap. 19. q. 76. ad 5.* ubi inter repudium veteris & novæ legis divortium intercedentes varias differentias refert.

69. Tertia desumpta ex variis textibus decreti Gratianæi, conjugii innocenti, consorte ob fornicationem dimisso, aliud matrimonium permittentibus; quia imprimis *can. Concubisti cit.* relatum Zachariæ Papæ decretum intelligendum est de nuptiis ob incestuosum viri adulterium uxori permissis post obitum viri: cui, & uxoris sorori ob crimen alterius conjugii, etiam uxore mortua, potiundi spes præcisa fuit, *can. cit. c. Veniens 2. & c. Transmissa 4. de eo, qui cognovit. Sc.* ut ad hanc Rubr. dictum n. 2. Deinde *can. Uxor cit.* aliqui pro apocrypho & ab Hæreticis supposito habent: & qui eum S. Ambrosio adscribunt, ab ipso nuptias ob conjugii adulterium innocenti viro duntaxat, non etiam mulieri permissas asseri, aiunt, secundum Legem Juliam Civilem fori usu eò tempore receptam: non secundum legem Christi Domini Divinam; cum secundum hanc, æquam viri & mulieris rationem esse, ipse agnoverit & docuerit *Lib. de Abraham cap. 4. & 7. & in Luca cap. 16.* ut præter alios notat Barbosa in *can. Uxor cit. n. 3.* Demum; quia *can. Si qua mulier cit.* est Concilii particularis, apud Vermerias sive Wormatiam

celebrati: eoque viro, in cujus mortem uxor machinata fuisse probatur, aliud conjugium permissum non decernitur, sed solummodo *videri*, asseritur: imò apud S. Jvonem verba, *Potes, si voluerit, aliam ducere*, non reperiuntur, & c. i. hâc Rubr. ei substituta leguntur verba *Potes, iste post mortem uxoris, si voluerit, aliam ducere*, quod, virò mortuò, non permittitur uxori. Quare exile & vanum omnino est præsidium, quò errorem suum adversus veritatem Orthodoxam ex *can. cit.* tumentur.

ARTICULUS V.

De ejusdem Dissolutione quoad thorum & habitationem Perpetua.

SUMMARIUM.

70. *Matrimonium ita solvitur conjugum consensu,*
71. *Eorumque unius adulterio,*
72. *Sive copulâ cum quocunque non suo consummatâ:*
73. *Non solummodo attentatâ,*
74. *Ad divortium non sufficit adulterium materiale,*
75. *Aut cujus uterque causa est.*
76. *Liberè divertere potest ob adulterium notorium:*
77. *Non etiam ob notorium & divinis impedimentum.*
78. *Ratio discriminis.*
79. *Ob adulterium, nec notorium nec probatum, divertere non licet:*
80. *Nisi id innocens certò sciat.*
81. *Imò neque hoc casu in Foro externo:*
82. *Et plerumque etiam in interno.*

83. *Inno.*

83. *Innocens per se neque ab adultero divortere,*
 84. *Neque hunc penitentem recipere tenetur:*
 85. *Nisi causa gravis id exigat,*
 86. *Vel nocenti injuriam remiserit,*
 87. *Vel in fornicationem etiam ipse sit lapsus.*
 88. *Quò casu, conjugij redintegrationi sententiam divortij obstare, alii qui affirmant.*
 89. *Verius alij negant;*
 90. *Quòd sententia causa cesset.*

70. **V**inculò remanente matrimonium Fidelium Consummatum quoad cohabitationem & thorum, sive conjugalibus debiti reddendi obligationem, non solum eò conjunctorum mutuò consensu, v.g. amore Castitatis, vel Religiosi aut Clericalis status assumendi studio, c. *Cum sis 4. c. Conjugatus 5. Sc. de Converf. conjug.* sed alterò etiam invitò, dissolvi posse, patet ex præsentibus *Rubrica c. Quæsvit 2.* aliisque textibus ei subiectis.

71. Et primò quidem propter adulterium: quò non solum ab uxore commissò innocens maritus, c. *Significasti 4. c. Exliteris 5. c. Gaudemus 8. Sc.* sed etiam à marito perpetrato, uxor innocens perpetui divortij jus habet, ut contra Cajetanum in illud, *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem*, Matth. cap. 19. v. 9. cum S. Thoma in 4. dist. 35. q. unica & S. Bonaventura ibid. q. 3. TT. cum Hostiensis & Panorm. in c. *Intelleximus 5. de Adult. n. 3.* Interpp. & cum Sylvestro V. *Matrimonium 9. q. 6.* & Covarruvia p. 2. de *Sponsal. cap. 7. §. 5. n. 8.* Canonistarum & aliorum DD. fere omnium doctrina constans & fundata est Imprimis in can. *Idololatria, 28. q. 1. can. Si quis uxorem 32. q. 1. can. Præcepit 10. Sc. can.*

fin. ibid. q. 5. Sc. Deinde in c. *Quæsvit Sc. c. Exliteris citri* iisque facta mariti & uxoris æquiparatione Demum in Apostolo 1. Corinth. cap. 7. v. 12. uxorem, si à viro (ob iustam, scilicet fornicationis causam) discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari, ex præcepto Domini jubentis. Id ipsum suadet ratio, quia, sicut uxoris sic etiam mariti adulterium violatio est fidei & thori conjugalibus, in qua divortij jus ex adulterio ortum præcipuè fundatur, Sanchez *Lib. 10. de Matrim. disp. 3. n. 6.*

Nomine autem *Adulterij* hòc locò ve- 72. nit quæcunque copula carnalis consummata cum non suo vel non sua: nec solum naturalis, sed etiam Sodomitica & bestialis, ut cum *citt. S. Thoma q. unica, art. 1. Panorm. in c. Maritus 4. de Adult. n. 3.* & Covarruvia §. *cit. n. 6.* aliisque Interpp. ac DD. plurimis docent *citt. Sanchez disp. 4. n. 3.* & Pontius *Lib. 9. de Matrim. cap. 16. n. 5.* quòd per has copulas omnes conjux contra fidem matrimonij dividatur in carnem alienam.

Dixi, *Consummata*; quia ad divortium non sufficit solummodo attentata: multò minùs amplexus, oscula, tactus vel alii actus turpes cum proprii vel alieni corporis pollutione, ut cum Covarruvia cap. 7. *citt. §. 6. n. 3.* & aliis docet *citt. Sanchez n. 9. 10. Sc. 12.* neque etiam adulterium solum materiale, sed requiritur formale: cujusmodi non est, quòd 74 committit v.g. uxor, credens maritum mortuum & cum alio soluto peccans, *can. Cum per bellicam, 34. q. 1.* aut, ad se accedentem adulterum conjugem suum non esse, invincibiliter ignorans, *can. Lectum, 34. q. 2.* vel, quòd ab ipsa omnino invita per violentiam extorquetur, *can. Itane 3. Sc. can. Proposito, 32. q. 5.* quia adulterium non committitur sine dolo, l. *Si ex lege 43. ff. ad L. Jul. de Adult.* qui cum his casibus

casibus absit, iis matrimonio & conjugii injuria ab ipsa inferri, non videtur, *citt.* Sanchez *disp. 5. à n. 12.* Pontius *Lib. 9. cap. 17. n. 8.* & Palao *Tract. 28. disp. 3. p. 6. §. 1. n. 3.*

75. Passim tamen hic DD. excipiunt casum, quò conjugii unus alterius adulterii auctor fuit, v.g. marit^{us} uxore prostituendò, *c. Discretionè 8. junctâ Glossâ V. Exceptionem, de Eo, qui cogn. consang.* vel in eius fornicationem consentiendò expressè, vel saltem tacitè, eam, cum sciret & facillè posset, non prohibendò; cum enim huiusmodi maritus tanquam leno puniatur, *l. Ex lege 2. §. 2. ff. § 1. Crimen 2. C. ad L. Jul. de adult.* meritò ei, tanquam lenoni uxorem suam prostituenti, jus divortii negatur; scienti enim & consentienti non fit iniuria, *Regula est 27. in 6.* quæ fundamentum & causa est divortii permitti. Ita cum Sylvestro *V. Divortium, n. 12.* & aliis *citt.* Sanchez *disp. 5. n. 4. § 5.* Pontius *n. 7.* & Palao *§. 2. n. 20.* Alia ratio est uxoris; quamvis enim etiam ipsa, quando in mariti adulterium consentit, ab eo divertere non valeat, hoc tamen ei permittitur, quando mariti delictum sciens non prohibet; quia eius scientis taciturnitas pro consensu non habetur; quòd fœminæ, præsertim bonæ, hoc ipso; quòd viris inferiores sint, eos reprehendere & à delictis abstrahere facillè non posse, censeantur; ut cum Castro *de Lege Penali Lib. 2. cap. 4.* advertunt *citt.* Sanchez *n. 5.* & Palao *n. 2.*

Casu etiam, quò maritus causa tantum remota fuit adulterii uxoris; quòd exigenti debitum conjugale vel alimenta negarit, aut ei domo sua eiectæ non cohabitavit, divortio locum esse, ex *c. Significasti cit.* & Glossa *ibi V. Materiam* constat; quia mulier nullâ ratione ad fornicandum adduci, & potius omnia mala pati debet, quam in corpus suum peccare aut

malo tanto consentire, *can. Ita ne, 38. q. 5. § c. Sacris 5. de lis, qua vi metusve, causâ;* Neque enim ignoscendum est ei, quæ obtentu paupertatis turpissimam vitam agit, inquit Ulpianus *l. Palam 43. ff. de Ritu nupt.* Hæc satis certa.

Dubium autem primò est, an, coniugum unò in adulterium lapsò, innocens ⁷⁶ divertere ab eo valeat propriâ autoritate. Qua de re variè admodum sentiunt DD. Ego inter tres casus existimo distinguendum.

Primus est, quò unius coniugis adulterium per eius confessionem factam in iudicio etiam Seculari, aut evidentiam ipsius facti, quòd v.g. maritus aliam imprægnarit, aut ex ea prolem procrearit, vel uxor, marito diu absente, prolem ex alio susceperit, vel ab isto sit imprægnata: quò casu divortium innocenti, iudicio Ecclesiæ non expectatò, permittitur, clarè desumitur ex *c. Significasti 4.* quò textu ab Alexandro III. coniugum unus ab altero recessus ob adulterium notorium propria autoritate factus rati habetur, *ibi, Si notorium est, mulierem adulterium commississe, ad eam recipendam præfatus vir,* qui eam proprio motu expulerat, *cogi non debet.* Huic affine est Pelagii eius Prædecessoris rescriptum *can. De Benedicto, 32. q. 1. & decisio 6. De illa 6. hæc Rubr.* ubi mulier ad maritum, à quo propter hæresin propria autoritate recesserat, redire non compellitur, antequam iste, abiuratâ hæresi, ad Ecclesiæ gremium fuerit reversus. Idem minimè obscurè colligitur ex *c. Ex parte 9. de Sponsal. & matrim.* verbis, *Nemini licet, uxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere.* Unde à contrario, eam ob manifestam fornicationem dimitti posse, legitime inferitur, ut Pa-normit. in *c. Plerumque 4. de Donat. inter vir. & uxor.* Sylvester *V. Divortium, n. 11. Co.*

n. 11. Covattuvias cit. §. 5. n. 11. & aliis DD. relatis, observant duo Barbosa, Petr. in Rubr. ff. Solutio matr. p. 2. n. 26. Augustin. in c. Ex parte cit. n. 6.

77. Cum hac, in *cc. cit.* decisionibus fundata doctrina aperte pugnare videtur textus *c. Porro 3.* quò conjugum separationem, etiam cum parentela sive consanguinitas (eadem aliorum impedimentorum ratio est) publica & notoria est, absque Ecclesiæ iudicio fieri posse, differtè negatur. Cujus & antè *cit.* textuum decisiones, ut ab Antinomix vitio abolverent, Interpretes, variis expositionibus excogitatis, eas in concordiam reducere laborarunt: ex quibus celeberrimos & verisimiliores sunt duæ.

78. Una Sylvestri *V. Divortium, q. 8. Petri Barbosa cit. p. 2. n. 26. & Farinac. Prax. Criminal. q. 143. n. 52. asserentium, c. Porro cit.* decisionem procedere de consanguinitate notoria, quæ tamen, ut ferè solet, aliquò modò celari poterat: posterioribus verò, & præsertim *c. Significasti cit.* locum esse in adulterio ita notorio; ut nulla inficiatione vel tergiversatione celari valeat vel excusari; quòd v.g. uxor ex alio viro prolem susceperit, publicè illi cohabitaret, aut cum eo vagetur, vel adulteriù in iudicio, etiam Seculari, sit confessà: quam textuum conciliationem, cum; quòd frequentiori DD. calculò approbata: tum verò; quòd consanguinitatis notorietas, præsertim in gradibus secundò remotioribus, rara & ferè non multùm urgens sit, aliis præferendam, censet August. Barbosa in *c. Porro cit. n. 4.*

Altera, quam post cæteras latè discussas præfert Sanchez *cit. Lib. 10. disp. 12. n. 38. cc. cit.* decisiones pro diversis potiùs, quam contrariis habens; quantumvis enim, cum adulterium per uxoris propriam confessionem aut facti evi-

dentiam notorium est, viro innocenti divortium, iudiciò Ecclesiæ non expectatò, permillum sit, per *c. Significasti cit.* textum & argumentum à contrario ductum ex *c. Ex parte 9. de Sponsal. & matrim.* verbis, *Nemini licet, uxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere:* recessus tamen à conjugio, istiusque omnimoda dissolutio sine Ecclesiæ iudicio ferè permilla non est: quantumvis notoria sit consanguinitas vel aliud ejusmodi impedimentum, inter personas intercedens, juxta *c. Porro cit.* Discriminis rationem reddit; quòd, divortio ob adulteriù instituto, conjux tota possessione, sive communis thori usu, cohabitationis & obsequiorum conjugaliu commodis: recessu autem & dissolutione vinculi matrimonialis, ipsa etiam proprietate privetur; cum, istà legitimè factà, personarum conjugarum utraque ab altera tanquam à non sua perpetuò & sine redintegrationis ulla spe recedat, & aliud conjugium inire cum alià possit. Quòd, cum multò majoris præjudicii sit, ad conjugii in facie Ecclesiæ contracti dissolutionem propter impedimentum dirimens meritò exigitur iudicium sive autoritas Ecclesiæ: quantumvis hæc ad divortium, propter adulterium instituendum, non semper requiratur. Ita cum *cit. Sanchez, ejus aliàs ex professo adversarius, Pontius Lib. 9. cap. 18. n. 3. Coineck disp. 35. dub. 1. n. 3. Palao Tract. 28. disp. 3. p. 6. §. 4. n. 3. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 25. hanc cc. cit.* conciliationem vocans communem.

79. Alter casus est, quò de unius adulterio dubium aut probabilis suspicio habetur: quò propria autoritate divertere conjugii innocenti non licere, perspicuè desumitur ex *cit.* decisione Alexandri III. uxoris dimissionè *Sine manifesta fornicatione nemini permilla, asserentis. Unde cum*

B b b ;

de cum

de, cum *can. Dixit*, 22. q. 1. uxor ob fornicationis suspicionem permittitur dimitti, id de suspitione, siue præsumptione violenta & orta ex circumstantiis cum fornicationis actu ferè semper conjunctis, cuiusmodi *c. Litteris* 12. de *Præsumptionibus* referuntur, moralè que certitudinem fundantibus, exaudiendum, in *c. cit. n. 2. Sin can. Dixit n. 1.* notat Barbosa, & colligitur ex sententia Christi, à S. Ambrosio *can. cit.* relata: uxorem ob fornicationem, hoc est, quando de ea moraliter certò constat, & non solùm qualiscunque suspicio habetur, dimitti permittente, ut observat *cit. Sanchez n. 42.*

80. Tertius est, quò adulterium occultum, de quo tamen ab uno perpetrato alteri certò constat, non potest probari; quò casu, spectatà naturà matrimonii, adulteri dimissionem, ab eòve recessum innocenti permissum, cum Panormit. in *c. fin. de Adult. n. 6.* Petr. Barbosa *cit. n. 26.* aliisque verisimiliter sustinet Sanchez *cit. disp. 12. n. 5. & 31.* eà permotus ratione; quòd matrimonium ex natura sua conjuges ad debiti redditionem & cohabitationem obliget: dummodo fidem conjugalem, carnem suam in alienam non dividendò, conjux servet, Matth. *cap. 19. v. 9.* ac proinde hujus in aliam divisione fidei que illius violatione obligationes illæ cessent. Unde, cessante aliorum scandalò, tali casu innocens in conscientia tutus esset non solùm, si adulter negaret debitum, sed etiam, si ab eo clam aliò discedens sacros Ordines susciperet vel ingrederetur Religionem.

Neque obstat decretum Concilii Carthaginensis, *can. Seculares*, 33. q. 2. relati, & excommunicari iubentis viros, qui uxores suas sine iudicio Ecclesiæ dimittunt; quòd ab earum consortio ita recedentes sibi jus dicant in propria causa, contra *l. unic. C. Ne quis in sua cau-*

sa & can. Inter querelas 27. junctà Glossà *V. Propria*, 23. q. 4. Non, inquam, hæc propositi casus Resolutioni obstant, Textus quidem; quia eò non agitur de earum dimissione ex causa adulterii & Religionem ingrediendi vel sacri Ordinis assumendi animò facta ab eo, qui notitiam criminis certam habet; sed de eo, qui uxorem dimittit sine ulla graviore culpa aut probabili causa, animò ad illicita consortia accedendi, ut ex textu constat. Ratio verò; quia innocens discessu illo non tam sibi jus dicit, quam utitur jure, sibi ex natura matrimonii certò competente & nulla lege adempto: imò apertè firmato *can. Dixit cit.* quò locò uxor ob fornicationem, cum de ea constat, dimitti permittitur Liberè, hoc est, nullà alià licentià vel sententià expectatà; cum dictione illà sententià jam lata denotetur, secundùm Tiraquell. in *l. Si unquam* 8. C. de *Revocand. donat. V. Revertatur*, n. 134. Quod confirmatur factò S. Josephi, sanctissimam Virginum Virginem sibi desponsatam occultè dimittente cogitantis propter adulterii suspitionem; quòd inventa esset habens in utero, Matth. *cap. 1. v. 18.* ut locum illum exponunt Maldonatus & Suarez 3. p. q. 29. art. 1. f. 2.

Dixi tamen, *In conscientia & seclusò scandalò*. Prius; quia in foro externo ex causa adulterii, nec notorii nec legitime probati, uxorem dimittens, eam recipere compellendus est; ne hominum malitiæ præbeatur ansa conjugem innocentem ejusmodi dimissione vel recessu injustè vexandi. Posterius; quia ad gravis scandali periculum vitandum liberè dimissioni aut recessui etiam in foro Conscientiæ interno vix locus est extracausum, quò conjugium est occultum, Sanchez n. 34.

Dubium secundò est, an conjugem adulter-

adulterum dimittere innocens teneatur. Ratio dubitandi oritur ex *can. Sicut crudelis*, 32. q. 1. & *c. Si vir 3. de Adult. & sup.* quorum textuum priori uxorem meretricem retinens fatuus & patronus turpitudinis; posteriori cum ea in adulterio permanente vivens reus & criminis particeps habetur.

Nihilominus, per se & ratione adulterii conjugem dimittendi obligationem dari, cum Navarro in *can. Divortium 21. dist. 1. de Penit. n. 8. & cit.* Sanchez *disp. 13. n. 6.* rectè negant Laiman. *Lib. 5. tract. 19. p. 3. cap. 2. n. 15.* & Pontius *l. cit. cap. 17. n. 2.* partim propter textus *can. De benedicto 5. can. Si quis uxorem 6. Sc. 32. q. 1. & c. Quomodo admodum 25. §. Illud*, ibi, *Tutius est adulterum non accusare, de jurejurando*: partim; quòd adulteræ dimissio à Christo Matth. *cap. 19. v. 9.* non præcipiatur, sed solummodo permittatur, teste S. Augustino *Lib. 1. de Sermon. Dom. cap. 27.* relatò *can. Idololatria, 28. q. 1.* favore innocentis: qui illatam sibi injuriam condonare, & ex ea quæsito divertendi juri renuntiare non prohibetur *cc. cit.* quia imprimis istorum textus exaudiendi sunt de marito, retinente adulteram sine correctione; talem enim sustinendò in turpitudinem consentire, ejusque patronus ac particeps meritò censetur. Deinde; quia dixi, *Per se & ex vi matrimonii*; quia per accidens & ratione scandalali ac sinistra suspitionis, cujus de se concipiendæ ansam aliis præbet, post correctionem in adulterio persistentem uxorem dimittere aliquando, licet rarò admodum, tenetur: & rariùs, imò vix unquam uxor; cum ad viri correctionem subdita non obligetur, & ex ejus retentione scandalum aut consensus suspicio non facilè oriatur.

84. Dubium tertio est, an adulterum respicientem recipere, & cum eo con-

jugium redintegrare innocens teneatur. Possè, si velit, Orthodoxorum nemo est, qui inficias eat contra S. Augustinum *can. Quòd autem Sc. 32. q. 1.* relatum. Teneri saltem, si non sæpe relabatur, suadent *c. Si vir 3. cit. verba, Si mulier penitentiam egerit, debet sed non sæpe recipere penitentem.* Verùm

85. textum hunc de honestatis & cujusdam æquitatis, non de necessitatis & legali debito cum Glossa, Hostiensis *V. Debet accipiendum*, notat Pontius *cit. Lib. 9. cap. 19. n. 6.* Unde ipse & DD. alii, adulterum legitime dimissum recipiendi obligationem dari, meritò negant: & *can. Dixit, can. Quòd autem cit. Sc. consilia*, non præcepta contineri, ajunt, extra nonnullos casus, Primò quidem, quò respicientis receptione magnum aliquod malum averti aut bonum promoveri potest.

86. Secundò, quò adulterio sibi illatam injuriam innocens remisisset, vel expressè *l. Si maritus 15. §. 5. ff. ad L. Jul. de Adult. vel tacitè, ei liberè ac sponte se copulandò, vel domi retentæ exhibendò solita obsequia & signa affectus conjugalis; talia enim conjugii adulterio exhibentem ad divortium in foro externo non admitti, à Rota decisum, testis est Farinacius*

87. *Vol. 2. Consil. 193. n. 34.* Tertio, quò in adulterium, qui prius erat innocens, prolapsus etiam ipse fuisset; hoc enim casu ab isto, saltem si propria auctoritate divertisset, ob adulterium ante dimissum conjugem recipiendum, patet ex *c. Significasti 4. in fine & c. Ex literis 5.* Ratio est partim; quòd periniquum videatur; ut ab uxore pudicitiam vir exigat, quam ipse non exhibet, *l. Si uxor 13. §. ff. ad L. Jul. de Adult. junctò can. Nihil iniquius, 32. q. 6.* & omnino æquum; ut eà lege, quam ambo contempserint, neuter vindicetur, *l. Si duo 36. ff. de Dolo & l. Si ambo 10. ff. de Compensat.* partim verò; quòd, ut

c. In-

s. Intelleximus 6. & fin. de Adult. dicitur, paria delicta mutuâ compensatione tollantur, quando agitur Civiliter siue ad utilitatem privatam: sicut contingit, cum ob adulterium agitur ad thori separationem, ut in *c. Intelleximus cit.* notat Panormit, n. 5. & in *c. fin. cit.* Gonzalez n. 14.

Neque refert; quod adulterium uxoris sit gravius quàm mariti; atque idcirco etiam cum Civiliter & ad divortium agitur, compensationi locus non esse videatur; quia, licet non quoad omnia, paria tamen delicta sunt quoad violationem thori & fidei conjugalis: quam præcipuè in adulterio considerant Jura, divortium permittentia innocenti, ut cum Gaëta in *can. Ad limina, 30. q. 1. §. 4. n. 217.* & aliis probè advertit *cit.* Sanchez *disp. 4. n. 5.* ubi ob eandem rationem delicta compensari ait etiam, quando conjugum unus Sodomix, alter adulterii est reus.

88 Dubium quartò & momenti minimè levis controversia est, an ob adulterium dimissus autoritate sententiæ judicialis, quæ transit in rem judicatam, alterò in idem delictum postea lapsò, agere valeat ad conjugii restaurationem. Negant id cum S. Thoma in *4. dist. 35. q. unica, art. 6.* Panormit in *c. fin. cit. n. 5.* Sylvestro *V. Divortium 27.* & aliis TT, ac ICT, magno numero congestis *cit.* Sanchez *disp. 9. n. 30.* & Laiman. *Lib. 5. tract. 10. p. 3. cap. 7. n. 14.* Momentum; quia, quod semel bene est definitum, minimè retractandum est, *can. Quod bene, 6. q. 4.* Dein; quia conjugem repententi obstat exceptio rei judicate: quam abolendi vim non habet adulterium commissum post sententiæ transitum in rem judicatam. Demum; quia per sententiam divortii conjux innocens absolvitur à debito societatis conjugalis: & licet non ipsam vinculum matrimo-

nii, ejus tamen contractus quoad jus cœmuni thori & habitationis dissolvitur. Unde innocentis adulterio nulla injuria infertur conjugi, utpote jus ad thorum & in corpus alterius non amplius habenti.

Sed veriùs, ad matrimonii redintegrationem agi etiam tali casu posse, cum Glossa in *c. Ex literis cit. V. Ad invicem.* Hostiensis *ibid. n. 2.* Gaëta *cit. §. 4. n. 228.* & aliis præsertim Interpp. defendunt Covarruvias *p. 2. de Sponsal. cap. 7. §. 6. n. 5.* Molina *Tract. 3. disp. 95. n. 5.* Pontius *cit. Lib. 9. cap. 19. n. 6.* duo Barbosa Petrus in *l. Viro 36. ff. Solutio matr. n. 4.* Augustinus autem in *c. fin. cit. n. 4.* & Fagnanus in *c. Ex literis cit. n. 9.* Ratio est; quia sententia divortii ob unius conjugis adulterium divertendi jus non ipsa concedit: sed id solummodo innocenti ex adulterio quæsitum declarat, ut eò uti publicè possit, ut colligitur ex eo; quòd, ubi adulterium publicum & notorium est, divertere possit propria autoritate, *c. Significasti & c. Ex parte cit.* at jus innocenti ex adulterio quæsitum solummodo est ad divertendum, dum ipse innocens est; quia aliàs post unius adulterium divertendi jus alter etiam haberet, quando adulterium ipse committeret; & matrimonium instaurare non teneretur, si adulterium post divortium propria autoritate institutum commississet. Eò ipsò ergo; quòd commissò adulterio innocens esse desinat, jus ex adulterio & divortii sententia quæsitum cessat. Quare in sententia divortii subauditur conditio, *Si alior sero averis continentiam*: quæ proin cessante reus agere poterit ad matrimonii redintegrationem. Confirmatur; quia, quando causa sententiæ venit ad non causam, si-ve quando cessat causa, ob quam sententia lata est, agenti non obstat exceptio rei judicate, Barthol. in *l. Si fullo 2. ff. de Condit. sine causa n. 1.* Cum ergo adulterio ab altero commissò causa sententiæ

tentiæ divortii cesset, ad matrimonii instaurationem agenti dicta exceptio non obstat.

Neque contrarium persuadent allata argumenta. Primum; quia, si vim haberet, neque officio iudicis cogi conjuges possent ad reconciliationem, ut vult *cit. Sanchez n. 32.* Unde *cit. can.* intelligendus est de retractatione ex iisdem causis: non de ea, quæ fit ex causa nova, juris, quod ad divortium habuit innocens, novam declarationem exigente. Unde etiam corrumpit alterum; quia, licet rei iudicatæ exceptio agenti obstat, quò minus sententiam in dubium valeat revocare: non tamen obstat agere volenti ob novam causam, & exigenti novam declarationem juris ex adulterio quæsiti.

Postremum; quia etiam adulterium posterius injuriosum est conjugi dimisso; cum sententia divortii tantum eximat ab obligatione reddendi debiti & cohabitationis: non autem, ne aliis copuletur; secus enim matrimonii instauratio peti non posset contra eum, qui ob notorium conjugis adulterium divertit propria auctoritate; cum enim sententia declaratoria tantum sit juris, innocenti conjugi ex alterius adulterio competentis, non plus licebit contra eum, qui propria, quam contra eum, qui iudicialis sententiæ auctoritate divertit.

ARTICULUS VI.

De Matrimonii quoad thorum & habitationem Dis- solutione Temporanea.

SUMMARIUM.

91. *Conjugis fornicatio causa Divortii perpetua est.*

92. *Per se & ex natura matrimonii: Temporanei causa sunt I. illius hæresis:*
94. *Quæ neque cum alterius conjugio hæresis,*
95. *Neque cum ejus fornicatione compensatur.*
96. *II. Periculum grave peccandi:*
97. *Quamdiu id durat.*
98. *III. Conjugis sevitia.*
99. *IV. Valde molesta cum eo habitatio.*
100. *Non etiam verberatio mariti:*
101. *Nisi ea excessiva,*
102. *Et in futurum timenda sit.*
103. *Viro ob uxoris sevitiam divortium aliqui negant:*
104. *Alii & melius concedunt.*
105. *Divortium exigit iudicis Ecclesiastici sententiam:*
106. *Quæ larâ neque conjugii salvo,*
107. *Neque etiam innocenti licitus est ingressus Religionis:*
108. *Nisi sententia absoluta & perpetua sit,*
109. *Post eam, cessante sevitia, matrimonii redintegratio non semper fit:*
110. *Nisi sevitia vacârit culpâ.*
111. *V. Lepra aliûsve morbus contagiosus.*

Percelebris inter DD. Orthodoxos & nostri temporis Sectarios controversia est, an præter fornicationem sive adulterium conjugis aliæ quoque justæ causæ Divortii sint: cui ansam præbuit sententia Servatoris nostri, machari asserentis eum, qui dimiserit uxorem suam, exceptâ causâ fornicationis, *Matth. cap. 5. v. 32. & cap. 19. v. 9.* ex quibus, conjuges ob unius lepram aliâve infirmitatem quoad thorum & cohabitationem non separandos, desumpsit & Bagonensi Episcopo rescripsit Alexander III. 91.

C c c

s. Quo-

c. Quoniam 2. de Conjugio leprof.

Sed Catholica & à S. Synodo Tridentina Sess. 24. definita Veritas est, divortii causam unicam non esse, ut patet ejus S. Synodi Canone VIII. cujus tenor est, Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad iborum seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse, decernit, Anathema sit, cujus definitionis cum c. Quoniam cit. & recitatis Christi verbis plures conciliationes afferunt DD.

92. Mihi præ aliis placent duæ. Una Bellarmini Lib. 1. de Matr. cap. 14. Maldonati in Matth. cap. 5. v. 32. & Valentia Controvers. Lib. unicò, de Indissolubilitate Matrim. cap. 6. asserentium, causam divortii, quæ ex ipsa natura conjugii oriatur, unicam esse fornicationem; quia ex omnibus causis, ob quas divortium permitti solet, fidei conjugali & matrimonii substantiæ ipsa sola adversatur; aliæ enim causæ v.g. sævitia aut periculum animæ, aliunde quàm ex natura conjugii oriuntur, & personas etiam non conjugatas separandi justam causam præbent. Altera eorundem Bellarmini §. Secunda, Maldonati l. cit. & Petr. Ledesma de Matrim. q. 62. art. 5. dicentium, adulterum per se esse unicam causam divortii perpetui & absoluti; tale enim & verum divortium Jure duntaxat est, quod perpetuæ dissensionis constituendæ animò fit, l. Divortium 3. ff. de Divortis; ob reliquas enim causas merè per accidens, & non perpetuè atque absolutè, sed tantùm, quamdiu earum aliqua v.g. sævitia aut lepra durat, divortium Ecclesia permittit; quæ expositio valde conformis est Tridentini can. cit. ob plures causas divortium, Ad certum incertumve tempus, non perpetuè permissum, definitis.

In specie autem hujusmodi divortii causæ sunt Primò Hæresis, multòque magis Apostasia à Fide, c. De illa 6. c. Quòd 7. in fine: imò hæc, tanquam spiritualis fornicatio, arg. can. Idolatria 5. can. Non solum 6. Sc. 28. q. 1. aliquando justa causa divortii perpetui est, juxta c. De illa cit. V. fin. & c. fin. de Convers. conjug. ad quam Rubr. hæc de re est actum à n. 34.

Dubium tamen hoc loco est, an, sicut adulterii carnalis, sic & spiritualis five hæreseos crimina quoad divortium compensentur. Ratio dubitandi est; quòd utriusque conjugis in hæresi lapsi delicta paria sint; paria autè delicta mutuà compensatione tollantur, l. fin. C. de Compensat. præsertim in matrimonii ac divortii, c. Intelleximus 6. c. fin. de Adult. & Supr. & l. Viro atque uxore 31. ff. Solutio matrim. Verùm hoc solummodo procedit, quatenus pecuniariter interest, l. Si ambo 10. §. 2. ff. de Compensat. & l. Si duo 36. ff. de Dolo, ubi duo, dolo malò se invicem decipientes, de dolo invicem non agunt: & cum delicti pena directè & principaliter imposita est in favorem alterius, Petr. Barbosa in l. Post dotem 40. ff. Solutio matrim. n. 5. Gonzalez in c. Intelleximus cit. n. 1. & Bruneman. in l. Si ambo cit. n. 4. pena autem divortii & privationis juris exigendi debitum conjugale, c. De illa & c. Quòd cit. hæresis imposita directè & principaliter non conjugis innocentis, sed publicum Ecclesiæ & Religionis Catholicæ favorem spectat; cum ob injuriam & violationem fidei, non conjugis, sed Deo data, illatam Jure proposita sit.

Quare, compensatione omnino exclusâ, proposita dubitatio cum Sanchez Lib. 10. de Matr. disp. 16. n. 4. Pontio Lib. 9. de Matrim. cap. 21. n. 6. Palao Trañ. 28. disp. 3. p. 6. §. 5. & n. 8. & Perez Disp. 57. de

37. de Matrim. f. 3. à n. 1. resolvenda est ope distinctionis; vel enim Ecclesie iudiciò hæreseos criminis uterque, vel alter solus est condemnatus? Si prius: ab altero divertere uterque, alterò invitò, potest: donec mutuo consensu pristinum conjugii statum & amicitiam uterque restitueret; quia perpetui divortii causa ex parte utriusque reperitur, cum; quia conjux à debito fidelitatis & obsequii conjugalis exhibendi hæretico condemnato omnino est absolutus, c. fin. de Hæretic. in 6. tum verò; quia hæreseos sententià Ecclesie iudiciò latà ei, qui in hæresin nondum lapsus est, libera facultas conceditur transeundi ad Religionem, c. fin. de Convers. conjug. manifestò argumentò, hæreticum condemnatum jure conjugali perpetuò privatam; ut id quocunque casu, ac proinde etiam alterò in hæresin lapsò, non recuperet; quòd id recuperari ullo jure expressum non reperitur: & jus semel extinctum non reviviscat, l. in tantum 6. §. 3. ff. de Rev. Divis. §. 1. Inter stipulantem 83. §. 5. ff. de V. O. Anchoran. Consil. 494. n. 13. & Tuschus Practic. V. Actio, concl. 116. n. 3. Si posterius: is, qui Ecclesie iudiciò condemnatus non est, à condemnato divertere potest, eique reconciliari non tenetur, ob allatam rationem. Contrà condemnatus etiam, postquam respicit, ab eo, qui hæreseos condemnatus non est, divertere non potest, nisi ad tempus, quò in hæresi perseverat: ei verò respicienti reconciliari tenetur. Ratio est; quia hæresis, cujus quis Ecclesie iudiciò condemnatus nondum est, divortii ad tempus tantum, quò is, in hæresi perseverat, non perpetui sufficiens causa est, c. Quando cit. Cujus discriminis ea ratio est; quòd hæresis ante sententiam divortii causa tantum sit ratione periculi perversionis: quòd cum, hæreticò respicien-

te, cesset, etiam divortium cessabit: post sententiam autem est poena, ei propter hæresin perpetuò inflicta, c. fin. cit. Castro Lib. 2. de Hæret. punit. cap. 7. Henriquez Lib. 11. cap. 17. n. 6. & Valentia cit. cap. 6.

Dubium secundò est, an quoad divortium adulterii carnalis & spiritualis si-
95-
ve hæresis crimina compensentur. Non quidem, antequam alter Ecclesie iudiciò hæresis est condemnatus; quia, ut quoad divortium crimina compensentur, utrumque crimen ex se divortii perpetui sufficientem causam esse, est necesse, per tradita à cit. Sanchez disp. 6. n. 3. tali autem casu perpetui divortii causa sufficiens solùm adulterium, non etiam hæresis est; cum ista divortio causam antecedentiam solùm præbeat ratione periculi perversionis; atque idcirco, hæreticò emendatò cesset. Sed, si hæresis sententia in ejus reum conjugem sit lata; hòc enim casu an hæresis cum adulterio carnali compensetur, dubitandi ratio est; quòd utrumque delictum fornicationis, unum carnalis, alterum spiritualis: & utrumque perpetui divortii sufficiens causa sit. Sed esto, adulterium & hæresis quoad hoc paria sint, disparia tamen & rationis omnino diversæ delicta sunt quoad alia; quia imprimis adulterio fides data homini violata & caro in aliam divisa est: hæresi autem violata est fides data Deo & vera ejus Religio contempta. Deinde hæresis crimen, licet multò gravius adulterio, minùs tamen, quàm istud, injuriosa est conjugii & matrimonio, quorum favore divortium ex adulterii causa est permittum. Demum; quia divortium ex causa adulterii concessum directè & principaliter spectat favorem conjugis innocentis: concessum autem ex causa hæresis post condemnationem poena est, principaliter vindictam

publicam & Ecclesiae atque Religionis Catholicae favorem spectans.

Quare adversus conjugem Catholicum adulterum, ex crimine haeresis ad divortium agentem, conjugii istius criminis condemnato ulli praesidio non est exceptio adulterii illi objecta. Haeretici etiam condemnati & Ecclesiae jam reconciliati ex causa adulterii carnalis ad divortium agentis intentio excludi non potest ipsi opposita haeresis exceptione, ut cum *cit.* Sanchez *disp.* 16. n. 3. recte docent *cit.* Palao n. 8. & Perez n. 3. Ratio est; quia ratio divortii ex utroque delicto concessi diversa, & ipsius divortii ex utroque concessi finis diversus est; cum principaliter, unum privatum, alterum publicum favorem spectet.

Neque has utriusque dubitationis resolutiones convellit, & adulterii atque haereseos crimina quoad divortium compensari perluadet; quod in materia Iustitiae duo ejusdem rationis debita saepe compensentur: licet injuria, ex quibus debita orta sunt, diversa, & compensationi obnoxia non sint; sic enim, si Titius Caio centum debeat ratione furti, & totidem Caius Titio debeat ratione illatae ei atrocis injuriae, debita compensantur: quantumvis injuria, ab utroque alteri illatae, rationis sint diversa. Non, inquam, ista compensationem quoad jus divortii persuadent; quia, re accuratius ponderata, inter duo ex diversis criminibus orta debita, & divortia ex diversis criminibus permixta, latum est discrimen, cum; quia ex adulterii & haeresis criminibus orta divertendi jura rationis sunt diversa, finesque & favores juxta dicta spectant diversos: tum vero; quia in debitis ex furto & injuria ortis aliquid tradendum est creditori; ac proinde casu, quod duo ejusdem quantitatis debitores & creditores sibi mutuo sunt, debita merito com-

pensantur; ne creditores, si petant, quod statim reddituri sunt, dolo agere videantur, l. Dolo 8. pr. ff. de Doli except. & Reg. Dolo 59. in 6. in divortio autem nihil alteri ab altero tradendum est, sed solummodo amittitur jus respiciens debitum & cohabitationem conjugalem, illaeso manente jure innocentis, reum sibi reconciliare etiam invitum valentis, si velit: & si nolit ad reconciliationem & cum uterque ex diversa causa nocens est, etiam ad compensationem admittendam nullo Jure obligati ferre, sicut duo sponsi de futuro: quorum si a sponsalibus resiliendi justam causam uterque habeat; quod v.g. alter fornicatus, alter lepra morbo percussus sit, sine ulla compensatione a sponsalibus recedere uterque potest; quod ex diversa rationis causis a sponsalibus recessus Jure permittitur utrique sit, c. Quemadmodum 25. pr. de Jurejurando.

Secundo, periculum gravis peccati, v.g. si maritus uxorem velit prostituere, latrocinii, veneficii &c. participem facere, arg. e. in Idolatria, 28. q. 1. quia Jure Naturali & Divino cuius permittitur est, perversionis animae suae & peccati periculum vitare, juxta illud Christi, Si oculus tuus scandalizat te &c. Matth. cap. 18. v. 9. quod locum ab Interpp. nomine Oculi quicumque nobis conjuncti, ut parentes, uxor, liberi, quando sunt causa ruinae animae, intelliguntur. Ita cum S. Thoma in 4. disp. 39. q. unic. art. 6. Innocentio & Panor. mit. in c. Quasi sit cit. n. 2. & aliis observat *cit.* Sanchez *disp.* 17. n. 5.

Neque obstat, quod c. Quasi sit 2. uxori divortium propter furtum vel aliud crimen viri negetur: & disertè permittatur ob perversionem Fidei & periculum illius, ibi, Nisi fidei suae religionem corrumpere velit; quia hoc regulare, non perpetuum

perpetuum est; cum enim periculum pertractionis in peccatum à coniuge in hæresin vel Apostasiam prolapsò regulariter: à latrone autem & aliis criminibus inquinato rarò impendat, ab hæretico & Apostata regulariter: ab eo autem, qui aliis flagitiis deditus est, divertere non licebit, nisi casu, quò probabile est periculum perversionis, ut cum Gaëta in *can. Ad limina*, 30. q. 1. §. 4. n. 235. & aliis rem hanc explicat Sanchez *disp. cit. n. 5.*

97. Dubium est, an gravis peccati periculum, ex cohabitatione cum coniuge imminens, divortii perpetui iusta causa sit; id enim affirmat Innocentius in *c. De illa 6. in fine*, ductus paritate cum hæresi: quam perpetui divortii causam esse, dictum planumque est ex *c. cit. & c. fin. de Convers. conjug.* Consentit ex parte Veracrux *Speculi p. 3. art. 1. in fine, concl. 4.* probabile esse, asserens, ob inductionem, sicut in hæresin, sic & in alia crimina perpetuò divertere coniugi licitum Jure Naturæ & Divino: illicitum autem esse ob Ecclesiastici Juris prohibitionem, *c. Quæsitit cit.* Sed malè, cum; quia divertendi iuri, Naturali Divinòve Jure concessio, Ecclesiam derogare voluisse: & si divortium Naturale aut Divinum Jus permiffum esse, voluit, potuisse, verisimile non est, ut *arg. can. Inferior 4. dist. 21. cum Soto in 4. dist. 36. q. unic. art. 1. rectè observat cit. Sanchez disp. 5. n. 23.* tum verò; quia Ecclesiasticus canon, quò periculum inductionis in peccatum perpetui divortii iustam causam esse, asseratur, non extat: & divortium, quod ex hæresis tanquam spiritualis adulterii causâ, *c. De illa & c. fin. cit.* permittitur, perpetuum non est, antequam in coniugem eius criminis sententia sit lata.

Quare eum, qui propter inductionem in peccatum à coniuge divertit, ad hunc respicientem seriòque conversum,

ut peccandi periculum ab eo nullum amplius sit, recipiendum, redeundumve ad eum & matrimonium redintegrandum, cum Zabarella in *c. De illa cit. in fine*, Sylvestro *V. Matrimonium 9. n. 12.* & aliis meritò obligant Petr. Ledesma *de Matrim. q. 62. art. 5. ad 1.*, Bellarmin. *Lib. 1. de Matrim. cap. 14. causa 2. & cit. Sanchez disp. 17. n. 14.*

Tertiò, sævitia aut furor mariti, v.g. consortem suam capitali odiò persequentis, eiusque vitæ ferrò, venenò &c. infidiantis, mortem vel mutilationem seriò minitantis, aut aliis modis crudeliter tractantis, ut colligitur ex *c. Ex iransmissa 8. & c. Literas 13. de Restit. Spoliat. & latè explicat cit. Sanchez disp. 18. tota.*

98. Quartò sævitia affinis & iusta divortii causa aliquando est valde molesta cohabitatio ex frequentia iurgiorum & rixarum, quas coniugum alterius inveterata & indomita improbitas solet excitare; quòd huiusmodi incommodorum metus sit gravis & in constantis animi hominem cadens, ut cum Henriquez *Lib. 11. cap. 17. n. 7.* observat Sanchez *disp. cit. n. 11.*

100. Dubium est, an divortio iustam causam uxori præbeant verbera, inflicta vel timenda à marito. Sunt enim Doctores, qui absolute id asserant &, qui inficiuntur extra casum, quò ex verberationis atrocitate mortis periculum timetur. Alii & meliùs dubitationem resolvunt ope distinctionis inter verberum inflictionem; vel enim ea levis ac moderata, vel gravis & excessiva est?

Si prius, divortii causa iusta nullatenus est; quòd, cum huiusmodi verberatio correctionem potiùs quam punitio nem spectet; atque idcirco ex iusta causa viro respectu uxoris permiffa sit, *can. Sicut 39. junctâ Glossâ V. Judicari, 7. q. 1.* non appareat, quâ ratione iustam divortii causam præbeat uxori, ut cum Tholosano

Lib. 9. Syntagmat. cap. 15. Petro Barbofa in Rubr. ff. Solutio matrim. p. 2. n. 31. & aliis advertit cit. Sanchez disp. 18. n. 16. idem asserens, etiam si levi ac moderatâ verberatione vir sine justa causa sit usus; quod ea neque virum arguat sævitia, neque iusti & in constantem animum cadentis metûs causam præbeat uxori.

101. Si posterior, & verberatio gravis atque excessiva est, altera distinctione opus est inter præteritam ac futuram; cum præteritam etiam atrocem verberationem, si ex insolitâ irâ & inopinatâ perturbationis motu processit, ejusque in posterum exercendâ probabilis timor non sit, justam divortii causam esse, cum *in. Barbofa n. 32. & aliis rectè negent Gutierrez Lib. 1. Q. Q. Canon. cap. 24. n. 9. Sanchez cit. n. 16. Laiman Lib. 5. tract. 10. p. 3. cap. 7. n. 17. & Palao Tract. 28. disp. 3. p. 6. §. 9. n. 7.* quia ex unica & inopinata, etiam multum excessiva verberatione, sævitia legitime non probatur, ex mente *Rolandi à Valle Tom. 3. Consil. 27. n. 12. & Riminaldi Vol. 2. consil. 147. n. 31.* quod ea assiduitatem, aut saltem ad grave malum inferendum propensionem & proclivitatem quandam exposcere videatur.

102. Futurâ autè, sive in posterum verisimiliter inferendâ ac timendâ gravi & præsertim atroci verberatione justam divortii causam uxori præberi, cum *Tiraquello Connub. l. 1. gloss. 1. n. 24. Covarruvia cit. cap. 7. §. 5. n. 1. & aliis, quos refert, laudatus Sanchez l. cit. defendit contra cit. Barbofam n. 34.* verberationem, quæ probabile mortis periculum asserat, exposcentem. Sed malè, partim; quia verberatio gravis generatim justa causa repudiû habetur *Jure Civili, l. Consensu 8. §. 2. in fine, C. de Repud. & Novell. 22. cap. 15. §. 1. ibi, Aut, si flagellu super ea utatur; nam, ut cit. §. 2. dicitur, hujusmodi verbera ab ingenuis aliena sunt, & propria*

servorum, Glossa in can. Sicut & V. Judicari cit. partim verò; quia gravis & excessiva verberationis metus in constantis animi hominem cadit.

Dubium secundò est, an ob sævitiam uxoris divertere etiam valeat maritus; huic enim ob illius etiam in mortem machinantis sævitiam divortium non permissum, cum *Glossa in c. Quæsit 2. V. Vel alio volunt Hostiens. in c. Quæmadmodum 25. de Jurejurando in fine, & Ant. de Butrio in c. cit. §. Illud autem, in fine, eâ præcipuè persuasi ratione; quod Ecclesiastici canones, c. 1. Ut lite non contest. c. Ex transmissa 8. & c. Literas 13. de Restitut. Spoliat. qui divortii ex sævitia causa meminere, de sola uxore, à viro sibi timente, loquantur: imò *can. Quidquid, 32. q. 5. relatum Nicolai I. ad Consul. Bulgar. cap. 96. responsum sit, Quidquid mulier tua contra te cogitaverit aut fecerit, non est, exceptâ fornicationis causâ, rejicienda.* Neque, ob sævitiam eam quoque rejiciendam, viròque divortium permissum, evincitur ex eo; quod maritus & uxor sint correlativa; ac proinde de illo dispositum ad istam, & vicissim porrigatur, *arg. l. Unica C. de Indicta Vid. quia istius legis argumento locus non est contra apertam Juris definitionem: & cum non eadem ratio est correlativi utriusque, per tradita ab Everardo Legal. arg. locò à Correlativu n. 8. non eadem autem ratio est mariti & uxoris; cum vir uxore, cujus est caput, *can. Hac imago 13. & can. Cum caput 33. q. 5. non etiam ista virum coercere ac punire possit; quod viri potestati sit subjecta, *can. Femina 30. q. 5. & can. Est ordo 12. Et. 33. q. 5.****

Sed meliori ratione etiam marito ab uxore, vitæ suæ insidias struente, si ab ea aliter se tueri nequeat, divortium cum *Panormit. in c. 1. hâc Rubr. n. 4. Joan. Andr. ibid. n. 3. Alex. de Nevo n. 4. Præposito*

posito in fine, Gaeta in can. Ad limina, 30. q. 1. §. 4. n. 235. & VV. aliis permittunt Covarruvias cit. §. 5. n. 2. Petr. Barbosa in Rubr. ff. Solutio matrim. p. 2. n. 23. cit. Ledesma q. 62. art. 1. dub. 4. Sanchez disp. 18. n. 8. & Palao Tract. 28. disp. 3. p. 6. §. 9. n. 6. ad finem. Ratio perspicua est, quia Jus naturale cuius concedit facultatem adversus vim injustam se tuendi, & mortis inferendæ periculum quovis modo declinandi aded; ut ipse etiam contractus matrimonialis ad cohabitationem cum vitæ discrimine ex illa, præsertim à malitiosa uxoris machinatione proveniente, conjunctam non obliget; quòd, ad eam aliter quàm salva proprii individui incolumitate se obligare voluisse, neuter conjux præsumatur, per tradita ad Rubr. de Conjug. Lepros. n. 6. Quæ ratio cum aequè militet pro conjuge utroque, sicut uxor, cum maritus, sic etiam iste, cum illa vitæ suæ insidias struit, & hæc aliter evitari non facile possunt, factò divortio suæ incolumitati prospicere valebit; ut adeo hòc quoque casu uxoris & mariti, tanquam correlativorum, æquiparatio procedat.

Neque hanc excludunt & resolutionem ullatenus infringunt allegati Juris textus, cum; quia solius uxoris ideo meminere; quòd viri in eam sævitia frequentior sit, quàm ejus in virum: verba autem legis, posita gratiâ frequentioris usus, ejus dispositionem non restringunt, secundum Glossam in Clement. 1. V. Præsidentes, de Rescript. Rebuffum de Nominat. q. 5. à n. 3. & Acolam in c. 1. de Testament. in 6. V. Si absque liberis, n. 20. tum verò; quia can. Quidquid cit. relatum Nicolai Papæ responsum non comprehendit casum, quò cohabitatio cum uxore conjuncta est cum probabili periculo vitæ; cum hanc adversus insidias quovis modo tueri permittat Jus Naturale, l. Ut vim 3. ff. de

J. & J. & I. Itaque 4. pr. ff. ad L. Aquil. cui derogare cum Papa nec voluerit, nec potuerit, can. cit. insertà exceptione causæ fornicationis ex aliis causis divortium duntaxat perpetuum excludetur: non, quòd ad certum incertumve v.g. gravis periculi durantis tempus sit, & permillum, liquet ex definitione S. Synodi Trident. can. 8. cit.

Dubium est tertio, an ob sævitiam eive affine incommodum conjugi divertere liceat propriâ autoritate. Non licere, sed Ecclesiasticæ autoritatis interventum necessarium esse, cum Covarr. cit. cap. 7. §. 6. n. 10. Pontio Lib. 9. de Matrim. cap. 23. n. 7. & aliis rectè monet Palao cit. p. 6. §. 9. arg. c. 1. c. Ex transmissa c. Literas cit. c. Porro 3. & c. Significasti 4. hæc Rubr. Ratio est; quia eò agitur de dissolutione juris & obligationis Sacramenti matrimonii, cujus tanquam Spiritualis causæ tractatio propria est judicis Ecclesiastici, juxta dicta ad Rubr. præced. à n. 2. qui, si ejus causam esse legitimam, & uxori adversus viri sævitiam pigrioratiâ, fidejussoriâ aut, his deficientibus, juratoriâ cautione satis prospici non posse, perspexerit, ad divortii sententiam proceder. Unde

Dubium quartum oritur, an divortii sententiâ ob sævitiam latâ, conjugi divergenti licitus sit ingressus Religionis. Nocenti, à quo innocens divertit, sine istius consensu Religionis ingressû aut sacri Ordinis susceptionem non permissam, res est satis explorata; cum, is sævitiam deponere, eaque depositâ ad innocentis petitionem matrimonium redintegrare teneatur; quòd divortii sententiâ lata sit in ipsius odium & favorem innocentis, per tradita à Sanchez cit. n. 49. in fine, junctâ disp. 10. n. 3. & 10. Innocenti etiam, qui ex divortii sententiâ à sævo conjuge divertit, ad Religionem transitum Jure non permissum,

missum, inde evinci videtur; quod Juris textus transitum illum coniugi, eius thori consorti invitò, solum permittant ex causa fornicationis, *can. Sunt qui 10. can. Agarhosa 21. in fine, 27. q. 2. c. Constitutus 15. & c. Veniens 16. de Convers. conjug. &*; quod transitus ille & susceptio Ordinis sacri inducat ac supponat divortium perpetuum: cuius iusta causa sola coniugis fornicatio, *can. Quidquid cit. c. Ex parte 9. de Sponsal. & matrim. & Matth. cap. 19. v. 9.* non etiam sævitia est; cum, ista cessante, vel etiam sufficiente cautione de incolumitate à coniuge sæviente præstita, matrimonium sit redintegrandum, *citt. c. Ex transmissa & l. Litteras, in fine.*

107. At, licet hæc ratio admodum urgeat, locus tamen imò opus est distinctione; vel enim divortii sententia solum temporanea & ad certum incertumve tempus lata, vel omnino absoluta & perpetua est? Si prius &, quod sævitia ac furoris remittendi spes sit, sententia solum temporanea est, Religionis ingressus uti & sacri Ordinis assumptio divertenti procul dubiò permissa non est; cum propter rationem in eam rem deducam: tum verò; quia huiusmodi sententià conjugale jus non extinctum & omnino amissum, sed ejus tantum executio ad tempus suspensa est, Petr. Barbosa *cit. p. 2. n. 25. Sanchez cit. n. 49. & Perez disp. 57. de Matrim. s. 5. n. 9.*
108. Si posterius &, quod sævum conjugem non corrigendum & innocentis incolumitati ulla cautione satis prospici non posse iudex arbitratus sit, divortii sententia absoluta & perpetua ab eo lata est, conjugis, ab eo divertenti, transitum ad Religionem omnino licitum, cum Navarro *Manual. cap. 22. v. 22. §. Quid, & Barbosa p. cit. n. 26. sustinent Henriquez Lib. 12. cap. 5. n. 10. citt. Sanchez n. 49. Palao §. 9. n. 12. & Perez n. 9.* Ratio est;

quia jus conjugale, quod unicum ingressui obstat, tali casu cessat; quòd ratione sævitia, ullam correctionem istiusque spem non admittentis, cohabitatio cum perpetuo vitæ periculo conjuncta iudicetur; ut adeò huiusmodi divortium per accidens imitetur id, quod ex carnalis vel spiritalis fornicationis causa Ecclesiastici iudicis autoritate fuit institutum.

Neque posteriori huic resolutioni parti adversantur Divini atque Ecclesiastici Juris textus allegati; quia fornicatio perpetui divortii causa unica est per se & ex natura ipsius contractus matrimonialis; quòd sola ea fidei conjugali & matrimonii substantiæ repugnet; sævitia autem illius causa merè per accidens est ratione perpetui periculi, ex conjugum junius sævitia alteri imminenti, & divortii sententiæ in ejus pœnam lata; ut adeò, sicut fornicatio per se, ita sævitia per accidens tantum, & quod perpetua fore iudicata sit, extinguat jus conjugale fere, sicut contingit, quando conjugum unus ad conjugales actus perpetuò inhabilis redditur, ut rem hanc cum *citt. Bellarmino cap. 14. §. Dicendum, Maldonat. in Matth. cap. 5. v. 32. & Valentia cap. 6. explicat cit. Sanchez disp. 15. n. 2.*

Dubium quintò est, an ergo si, perpetuà divortii sententià ob sævitiam & in istius pœnam latà & innocente conjugis Religionem jam ingressò, sævitia ex eaque imminens periculum ita cesset, ut ei, qui iudiciò Ecclesiæ divertit, ex cohabitatione nihil mali timendum sit, matrimonium non sit redintegrandum. Quia in re redintegrationi locus non esse, tradunt Sanchez & Perez *citt. n. 9. & 49.* quia Religionis ingressus fuit legitimus & divortii sententià hoc ipsò; quòd sævi conjugis corrigendi spes non appareret, absolute lata; ut prospiceretur saluti innocentis, cui aliter consuli non posse videbatur. Unde,

Unde, sicut cum ex causa hæresis & in istius poenam, sic etiam cum ob sævitiam & in istius poenam lata divortii perpetui sententia est, locus non est matrimonii redintegrationi: quantumvis ille hæresin ejuret & ista sævitiam præter spem deponat.

110. Excipiendus tamen est casus, quò conjugis sævitia caruit culpâ; quòd pro- venerit ex furore, qui Medicorum alio- rumque peritorum judiciò nunquam re- missurus & perpetuus fore credebatur; cum enim jure conjugali quis perpetuò privandus sine sua culpa non sit, divortii perpetui sententiæ locus vix est: & si talis lata, ejusque vigore Religionis pro- fessio edita jam fuisset, à conjugè furioso ad sanam mentem & tranquillitatem re-

deunte, is, qui judiciò Ecclesiæ divertit, repeti possit, religionis ingressu & sacri Ordinis susceptione non obstante; quòd, cum Ecclesiam appareat fuisse deceptam, ejus sententia retractanda sit: sicut de sententia divortii, ex fornicationis causa lata, dictum est *Lib. 2. tit. 27. à n. 74.*

Quartò demum lepra vel alius mor- 112 bus contagiosus & periculosus, juxta *c. 1. V. Si verò, de Conjug. Lepros. & ibi dicta à n. 6.* Ratio est; quia, hoc ipsò; quòd cui- vis à natura concessum sit, grave malum corporis declinare, conjugii lex non ob- ligat ad cohabitationem, cum gravi vitæ & salutis etiam corporalis periculo con- junctam, Laiman. *Lib. 5. Traçt. 10. p. 3. cap. 7. n. 16.*



TITVLVS XX.

De Donationibus inter Virum & Uxo- rem, & de Dote post Divortium resti- tuenda.

IN Divortiorum causas in judi- cium deductas incidere ple- rumque solent quæstiones de Dotis & propter nuptias Dona- tionis restitutione, solutò matrimonii, faciendâ: quarum proinde & Donatio- num, quæ inter conjuges fiunt, Jus ad hanc Rubricam declaratur.

ARTICVLVS I.

De Valore & Firmita- te Donationum inter Conjuges.

SUMMARIUM.

1. *Donatio alia fit Ob causam, alia mag- rò Liberaliter:*
2. *Quarum hæc inter conjuges infirma est,*
3. *Jure saltem communi,*
4. *Eam, si donantem pauperiorem,*
5. *Et donarium locupletiore red- dat, infirmante:*
6. *Idque etiam, cum donatio per perso- nas intermedias,*
7. *Vel debitum remittendò,*
8. *Aut ante matrimonium inicum, fit:*
9. *Nisi*

D d d

9. Nisi